Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Thesaurus semiotices pathologicae

2.1792

1792

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454

Band (Zeitschrift) Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0001
DFG

81. g. 12.

Ma 3086 (2.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1039804454/phys_0002
DFG

THESAVRVS SEMIOTICES PATHOLOGICAE,

QVEM

COLLEGIT ATQVE EDIDIT

IOANN. CHRIST. TRAVG. SCHLEGEL,

MEDICIN. ATQVE CHIRVRG. DOCTOR,

SERENISS. PRINCIP. DE SCHOENBVRG. CONSILIAR. AVLIC. ET ARCHIATER, DYNASTIARVM WALDENBVRG ET LICHTENSTEIN ETC. PHYSICVS ORDINAR. ET ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. SODALIS.



VOL. II.

STENDALIAE,

APVD FRANZIVM ET GROSSVM.

1792.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0005
DFG

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1039804454/phys_0006
DFG

VIRO

ILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO

Dr. JOANNI CHRIST. STARKE,

SERENISS. DVC. SAXO-VINARIENSI ET ISENACENSI A CONSIL. AVL. ET ARCHIATRO, MEDICINAE IN VNIVERSITATE LITTER. IENENSI PROFESS. PVBL. ET INSTITVT. CLINIC. PVBL. IENENS. DIRECTORI CET. CET.

AMICO

SVAVISSIMO, AESTVMATISSIMO

D. D. D.

EDITOR.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0007
DFG

I.

Dr. FRIDER. SCHRADER

resp.

DAN. ANDR. HERSTELLE

Exercitatio I — IV.

De signis medicis.

Helmstadii, 1699.

Exercitatio prima.

§. I.

Doctrinæ signorum, quam summatim breviterque ita exponere allaborabimus, ut ad penetralia hujus *prudentiæ medicæ* viam sternamus, scopus est, ex perspicuis & evidentibus notis corporis constitutionem, morbos, affectuum sedes et causas patefacere et manifestare. Dum autem sic latentes morbos, & sæpe valde absconditos, variisque concurrentibus symptomatibus implicatos per signa artificiose dignoscimus, & quæ præterita sunt tanquam præsentia commemoramus, quæque ventura sunt, prædicimus; quid in ipsa curatione faciendum vel omittendum sit, Artifici Medico innotescit. Sicuti enim Iuris peritis

ritis ex facto jus oritur, ita Medicis a recta morbi cognitione universa curationum argumenta manifestantur.

§. II.

Acquirit ergo Medicus Semeiotices peritia potestatem subtilius & exactius inspiciendi cognoscendique praesentia, prævidendi futura, simulque circumspiciendi, quid in utrisque boni vel mali sit ad finem Artis obtinendum. Dummodo, antequam de praeternaturali & morboso statu judicare praesumit, naturalem accurate habeat perspectum, qui amussis hic est et regula, ad quam, quae praeternaturaliter eveniunt, referre et expendere oportet. Anatomes peritus et Physiologiae gnarus sit. Quomodo enim affectus ipsius et affectae partis notitiam sibi parabit, qui, quid ad functionem aliquam, quae laeditur, spectet, et quem partes affectae situm obtineant, antea non habet exploratum? *Rectum*, inquit Aristoteles, *est index sui et obliqui*, et Hippocrates lib. de Offic. Medic. jubet, ut *similia prius* intueatur Medicus, *dein dissimilia*. Quapropter a plurimis Institutionum scriptoribus signa corporis salubris, insalubrem statum significantibus, praemittuntur.

§. III.

Quanquam autem ille, qui morborum historiam et naturam, causasque illos producentes, per sua phaenomena intelligere allaborat, plenius haec observatione ipsa addiscit, quaedam tamen jam ex his quoque praenosse debet Medicus, ut recte observare possit. Scire nempe ante debet in singulis morbis symptomata, quae ordinarie mor-

morbum comitantur, illorumque connexionem, ut uno apparente de alio mox cogitatio incidat, et tota illorum series memoriae succurrat. Nec minus in promptu debent esse causae procatarcticae, quae morbum talem excitare, et antecedentem causam in actum deducere consueverunt. Exploratum etiam ante esse debet, num morbi Epidemii, et quales, isto tempore adsint. Neque ignoti sint morbi Endemii illius loci, in quo degit aeger. Habeat quoque Medicus compertum, quales morbi aetatibus certis familiares, et sexui sint proprii. Haec si obscura ante non fuerint, sed cognita prius et meditata, in ipsa signorum scisitatione omnia erunt faciliora et clariora.

§. IV.

Quandoquidem vero signum aliquid notum est in sensus incurrens, illud quod ignotum est in morbis ostendens et patefaciens, ratione respectus horum signorum inter se, alia sunt communia, pluribus morbis competentia, alia propria, certisque morbis convenientia, quae interdum ab illis inseparabilia simul sunt, cum illis incipiunt et desinunt, ac pro eorum magnitudine augentur et minuuntur, propriamque morbi essentiam declarant.

§. V.

Quanquam autem pathognomica haec signa, quorum cum morbis necessaria est cohaesio, et quae in quarto modo ipsis propria sunt, in multis morbis nos destituant, ubi tamen omnia et singula, quae attenta observatio assequi potest, φαινόμενα, circa morbos indagantur, ad aegri

lectulum non, ut fieri solere conquesti merito sunt graves Medici, ἀλλότρια tractantur, et tempus frustra fabulis et ineptiis teritur, sed sedulae et curiosae morborum scisitationi impenditur, et, quae in Medicorum prudentum monumentis huc spectantia nobis relicta sunt, diligenter colliguntur et usurpantur, in plurimis morbis aliis inaccessa nobis sese pandent, et morbus perfectius intelligetur.

§. VI.

Utinam Hippocratis praeclaro exemplo morborum historiam per phaenomena ita rimari, in praecipuo habuissent, post illa tempora etiam, negotio. Certe si signorum doctrinam illa observandi diligentia locupletare quovis seculo fuissent annisi, Medendi ars multo longius provecta, ad talem statum, qualem mortalium patitur conditio, ferme perveniset. Nihil enim manifestius est, quam recluso fonte diagnostico cujuscunque morbi remedia et indicationes curativas statim manifestari, et veluti digito ostendi. Sed pauci admodum conati sunt, suis progressionibus hanc Medicinae praecipuam partem augere. Inter Graecos, caeteros omnes hic fere superasse visus Caelius Aurelianus, qui mentem serio huic rei intendit, ut, in detegendis signis et circumstantiis, morbos ab invicem distinguentibus, prudens et attentus, semeioticam amplificaret, et morborum ab initio faciem et decursum veluti naturae penicillo adumbraret. Hujus Autoris cum obliterata propemodum esset memoria, eundem in lucem revocavit, ejusque egregium opus de morbis acutis et diuturnis, ope vetusti codicis manuscripti, aliorumque

que cum eo collatorum restituit, excellentissimus et literatissimus Medicus Jacobus Dalechampius, et doctissimis annotatiunculis in margine adscriptis illustravit. Ab hoc Aureliano tractandorum describendorumque morborum rationem, censent quidam desumsisse illum solertissimum morborum speculatorem Thomam Sydenham, qui eorundem insidias, cursus, mutationes et integras historias perspicue et plane repraesentavit, ut optandum quam maxime sit, ejus negotia practica, et valetudinis propriae rationem permisisse, quo, sicuti acutorum, ita plurium etiam chronicorum morborum descriptiones nobis relinquere potuisset.

§. VII.

Haec vero in Arte secreta vere sunt, quorum necessitas tunc apertissima fit, quando ad curationem morborum vel complicatorum, vel obscure procedentium, vel similitudinem cum aliis morbis habentium accedimus. Haec arcana elegantissimo libello commendat, et in eo Artis cardinem verti persuadet Georgius Baglivus, Medicus Romanus, de praxi Medica ad priscam observandi rationem revocanda. Ubi, quomodo ipse in medendo morbis, qui subitum non poscunt auxilium, lente festinet, et summa industria antequam morbi speciem decernat, et curam auspicetur, omnia inquirat et perscrutetur, ita describit: *In curatione morborum, qui moram aliquam admittunt, hoc ordine progredior: Prima die totus sum in examinando ad amussim aegro, circa causas occasionales, omnesque morbi antecedentes et praesentes circumstantias; quo tempore nihil remediorum impero, ne per illorum usum forsan incommodum nascatur,*

tur, ordinaria morbi periodus signorumque constantia perturbetur, morbusque aliena facie mihi sistatur, quam revera deberet; et si quid praescribo, procuro, ut illud generale aliquid sit, et innoxium, imo per observationem juvandi aut laedendi valeat quoque ad indolem morbi aperiendam. Secunda die diligentius consideratis rebus ante dictis, morbi speciem tandem decerno, et exinde remedia opportuna praescribere incipio. Igitur, si verum fateri decet, prima basis curandorum morborum est recta eorundem cognitio, atque debitum unius ab alio discrimen; latent enim saepe veluti in alta nocte prima morborum initia, nec arte magistra in curationem eorundem perveniemus, nisi facem praeferat solida diagnosis.

§. VIII.

Quanta ergo id fieri potest ἀκριβείᾳ et lyncea circumspectione, in omnibus morbis illa pervestiganda et conquirenda sunt, quae morbi exorti et nostrae curae commissi historiam ullo modo spectant. Equidem nonnulli morbi statim se sensibus nostris ultro exhibent; ut morbi solutionis continui, vulnera et ulcera, morbi item magnitudinis, conformationis, non minus tamen in his ipsis ad omnes circumstantias, minimas maximas, diligenter attendendum est, ut plene, quantum ad curationem necessarium est, cognoscantur; sic vulneris gravioris curationem suscepturus, aegri ipsius temperamentum, habitum et constitutionem respicere debet, symptomata omnia, quae exorta sunt aut imminent, vulnus ipsum, in quo praecise loco sit, quousque penetret, quibus instrumentis, et qua vi inflictum sit, an de instrumento aliquid inhae-

inhaereat, an aliquid de parte ablatum sit, attendere oportet.

§. IX.

Sicuti autem in his obviis et oculis sese ingerentibus, ita eo magis ac diligentius in internis, latentibus et occultioribus morbis signa conquirere fas est, ut, quantum curatio poscit, arcanos horum morborum motus assequi possimus, quod ipsum sensuum fide, recto ac repetito eorum usu absolvere debemus. Tribuebat merito tantum sensuum efficaciae in morbis cognoscendis Hippocrates, aliique Graeci, ut per solas easque nunquam intermissas sensuum exercitationes ad intimiorem causae morbosae cognitionem pervenerint. Adhibeat ergo Medicus omnes externos sensus, ut signorum copiam nanciscatur. Et quanquam unum vel alterum luculentum signum sese prodat, mox tamen illi non fidat, vel hinc aliquid concludat Medicus, sed in pronunciando semper cautus sit et circumspectus, evitato immaturo et festinante de morbo vel affecta sede judicio, sed ex collectione et collatione demum diligenti plurium, imo, si possibile sit, omnium demum concludat et judicium formet.

§. X.

Visu diligenter consideret Medicus subjectum ipsum, hominem videlicet aegrum, et, pro norma sanum hominem statuendo, quid in illo praeternaturale occurrat, exploret. Adeoque, simulac aegrum accedit, corporis totius habitum observare debet: num is humidus vel siccus, macilentus vel tumidus et inflatus, colore naturali

vel peregrino imbutus; inprimis vero faciem accurate contempletur, quaeque in illa praeternaturalis mutatio contigerit, observet. Et sic primo obtutu saepius illa patefiunt, quae ex narrationibus aliorum aut literis non intellexeris. Frequentiores sunt aegritudinum casus, ubi aegrum intueri et oculis ejus membra ac vultum contemplari summe utile est, talibus enim exacte et pro necessitate exponendis, nec infirmus, nec adstantium ullus sufficit, sine quibus tamen Medicus prudentem et ad solidiorem medelam profuturum de morbo conceptum, ac praedictionem formare nequit, multo minus consilium capere ad necessaria administranda. *Expertus testor*, scribit Excell. Bohnius, dissert. 3. de Medici officio, hanc regulam serio commendans, *me saepius unico momento penes aegrum plus observasse, quàm multae prolixiores ministrorum ministrarumve relationes me docere poterant.* Quid non in facie oculos artente inspicienti innotescere potest diligenti observatori! Vere Hippocrates Epid. 17. pronunciat; *Ut oculi valent, sic totum corpus.* Si oculorum molem, plenitudinem vel flacciditatem, colorem, splendorem, motum, attendamus, plurima hinc in multis affectibus signa eruemus.

§. XI.

Oculis quoque percipere Linguae constitutionem oportet; et nares et genas, et dentes et aures aliquando aspicere. Genarum rubor insolitus, pallor, color flavus, lividus, niger, luridus, foedus, horumque diversae mutationes, plurima in morbis monstrant et significant. Lustrare quoque ad lectum aegri expedit obvia omnia

alia

alia objecta; quo inspectio urinae pertinet, quae in quibusdam morbis signum unum est eorum, quae multorum seculorum usu pro receptissimis et palmariis habita fuerunt, de quibus alias specialius dicendum.

§. XII.

Auditu illa percipit Medicus quae vel ab aegro, vel adstantibus et ministrantibus, de illius sanitate vel morbo referuntur, ex quibus probe consideratis dignoscere et praenoscere recte possit. Dum autem haec proponuntur, auscultet Medicus, et intempestive quaestionibus suis relationem non interturbet, sed illa probe notet, quae interrogationibus non lacessitus aeger de morbo suo narrat, quae identidem repetit, et cujus medelam inprimis flagitat.

§. XIII.

Os autem et lingua a Medico in subsidium vocantur sedulo in omnia inquirendi, non gustandi causa, foeditas enim rei hoc saepe non admittit, Artique ignominiosum foret; et praeterea aegri saepe ipsi, de sputi, phlegmatis, sudoris, illorumque, quae a ventriculo vomitu aut ructu prodeunt, sapore, testari et referre possunt.

§. XIV.

Opus autem est sagaci artificio, et ingeniosis saepe conjecturis, ut examen aegri cum sperato fiat fructu, et recti de morbo conceptus hinc eliciantur, saepissime enim aegri sua mala recte declarare nequeunt, si vero prudenter interrogentur, explicatius et distinctius omnia proponunt.

Admoniti etiam a Medico rectius et ad plura ipsi attendunt, et convenienti etiam ordine, in quo magnum hic positum est momentum, de morbo suo ejusque causis referunt. Quanquam autem adstantium et ministrantium munus inprimis etiam sit, quae circa aegrum, hujus affectum, et res nonnaturales Medicis dictas, occurrunt, accuratius observare; melius tamen fit, si uni fido et intelligenti custodi haec res committatur, quo is Medico accedenti et sciscitanti ad amussim haec referre valeat. Alias hic saepe veritas proverbii confirmatur: *Quod omnes curant, singuli negligunt.*

§. XV.

Ex praecepto autem Hippocratis, *cum ad aegrum deveneris, interrogare oportet: quae patiatur, et ex qua causa, et quot jam diebus, quo victu et medicamentis utatur vel usus sit, et an alui aliaque excrementa secedant. Et primo considerare, an morbus a bile aut pituita, vel quonam alio humore factus sit.* Aurea haec sententia, quae digna est aeterna memoria, legitur in lib. de affectionibus text. 36 circa medium. Plures equidem de modo interrogandi aegros multa scripsere, sed rem totam et brevissime et optime Hippocrates ita complexus est, ut haec sola Medico sufficiant ad finem suum consequendum. Ex responsis enim ad illa datis cognitionem morbi cum sua sede, et causarum illius nactus, cum eventum praecognitum proponere, tum medicationem ipsam instituere potest. Eo autem consilio ab Hippocrate haec exposita esse innotescet exactius, si praeclarae hujus doctrinae uberiorem explicationem, Medicinam facturis apprime utilem, intuearis, quam largitus est

Ju-

Julius Caesar Claudinus praestanti libro de Medici ingressu ad infirmos; cui jungi potest Kyperus in instit. Placent etiam, quae ad hanc Hippocratis sententiam commentatus est Fridericus Deckers in Exercit. Practic. Ubi bene fecit, quod verba illa Hippocratis, de investiganda in morbo humoris peccantis indole, quae immediate antecedentia sequuntur, annectenda putaverit. Haec enim, ab aliis resecta et omissa, conjuncta debere relinqui, et ad inquisitionem morborum imprimis quoque pertinere arbitramur. Humorum enim massa in morboso statu saepius respicienda, rarius culpanda viscera, toties innoxia; humorum vitia sunt, quae functiones frequentissime affligunt, et per sua signa manifestari debent.

§. XVI.

Odoratu etiam mediante in notitiam quarundam rerum, quae alias non attenderentur, ad cognitionem tamen meliorem morborum spectant, pervenire Medicus poterit, vel ipse e. g. sudorum odores olfaciendo, vel adstantes ut ad illos attendant monendo. Quapropter et cavere sibi Medicus ab usu odoramentorum debet, non solum ne suaveolentia ipsorum, aut graveolentia foeminis et aliis quoque tenerioribus noxia, vel saltem molesta et nauseabunda sit, verum etiam ne impediat alieni odoris in conclavi perceptionem, quae significationem alias praeberet. Quod de muliere est apud Plautum: *Mulier recte olet, ubi nihil olet*, idem de Medico non incongrue diceres. Quomodo circa odorem proprii corporis et anhelitus Medicus praxin exercens cautus esse debeat, pulchre exponunt Botallus de Medici et aegri

gri munere, et Bohnius de offic. Medic. differt. II. Quibus vel vitio putridi oris, aut alio intrinseco vitio, vel per incuriam aut intemperantiam foetidus putidusque odor contigit, ut duobus illis olidis Medicis, quos describit Galenus 6. epid. 4. illi palliativa cura fracedinem illam suam emendent, ac foetores suos occultent, vel aegroto non adeo appropinquent, ut molestiam illi et noxam quoque hinc possint afferre. Sicuti nec vini odorem omnes ferre possunt aegri vel valetudinarii, sed hinc graviter offenduntur, observante id Hippocrate de Decent. orn. et Galeno l. c. qui Medici cujusdam Romani exemplo id confirmat, a Botallo et Bohnio pariter adducto.

§. XVII.

Tactus quoque usum hic praebet multiplicem, quandoquidem illo qualitates externae percipiuntur, calor praesertim et frigus partium humani corporis, humiditas quoque et siccitas, asperitas et laevitas. Ubi tamen notandum est, quoad calorem et frigus partium, sensum tactus confusum saepe ac fallacem esse, ac Medico pro sui corporis manuumque tangentium calore, vel intensiore vel remissiore, aliter atque aliter calorem in aegro se habere deprehendenti, imponere posse. Sicuti ergo alias praejudicia haec evitaturi, naturalium rerum scrutatores, in exploranda corporum temperie et calore manibus suis diffisi, thermometris utuntur, ita Medicos quoque necessitas alios modos haec explorandi docuit. Sic in Empyemate, cognituri, quo in latere et quo loco pus in cavitate thoracis colligatur, manu apposita tam accurate id deprehendere nequeunt, quam

quam Hippocratis inventum adhibentes, linteum madidum bolo vel similibus oblitum pectori circumducentes, et quo in loco id primum siccescit, ibi puris esse sedem, ex majori calore, concludentes.

§. XVIII.

Situm quoque partium tactu exploramus, et, an vitium organicum vel magnitudinis, tumorum durities vel mollities, luxatio et similia adsint, tactu quoque cognoscimus. Sicuti in contabescentiis atrophiae gradus manu admota dijudicamus, observando, an durities justa et firmitudo in partibus carnosis, an vero flaccidus collapsus et marcidus sit corporis habitus.

§. XIX.

Motus quoque partium tactu indagamus, imprimis cordis et arteriarum vibrationes. Sanguinis motus vigor vel languor ex pulsu dignoscitur, quod alterum est signum palmarium receptissimum, de quo suo loco plura afferenda erunt.

Exercitatio secunda.

§. I.

Postquam Medicus sensuum ope illa diligenter apud aegrotantem, cujus curam suscipit, exploravit, quae ante oculos et inter manus sunt, ut Exercitatione prima descripsimus, ad ea, quae a corpore excernuntur, attendere quoque debet, et quo-

quomodo illa se habeant, diligenter inquirere. Sunt autem illa excrementa veficae, alui, oris, narium, aurium, cutis, uteri, partiumque, in quibus laesio aliqua contigit, neque tamen simpliciter necesse est, ut Medicus ipse talia inspiciat, potest a ministrantium aliquo id fieri, et Medico deinde, quomodo se habeant, significari, citra quorum tamen cognitionem Medicus scopum suum nequit attingere.

§. II.

Atque ita nullo modo obest Medicorum dignitati haec de excrementis rebusque sordidis speculatio, quae vilis et contemnenda videri posset. Ad quam tamen revera ex sublimitate quadam Naturae ministri descendunt, ut hominum calamitatibus et cruciatibus subveniant. Quid enim sublimius, quam cum Deo paria facere et misere afflictis auxiliari? Atque, ut id fieri possit, quantum in potestate est Artis Medicae, nec illa, quae fastidii taediique plena sunt, tantopere formidare fas est, ita morbi statum rectius cognoscemus et congrua ex aequo ac tempestiva remedia melius inveniemus. Pulchre scribit Seneca: *Hunc affectum adversus omnes habet sapiens, quem adversus aegros Medicus, quorum nec obscoena, si remedio egent, contrectare, nec reliquias et effusa intueri dedignantur.*

§. III.

Quandoquidem enim excrementa sunt humorum quaedam portiones, quae per partes, vel totum corpus feruntur, et in certis organis secedunt ac a corpore exeunt, constitutionem partium, in quibus haeserunt, demonstrant, et non modo

do quae sit earum constitutio, sed et qui humores exsuperent, significant. *Quae e corpore defluunt et excidunt, quia vel humorum portiones, aut partium excrementa quaedam sunt, eorum sane, in quibus haeserunt, naturam quodammodo retinent et eam, quum foras excidunt, nobis ob oculos proponunt*; sunt verba Fernelii l. 2. de signis cap. XI. et ejusdem l. 3. c. 8. *Quum sorporis excrementa, aut affectarum partium, aut peccantium humorum portio quaedam sint, aut saltem ex his defectae reliquiae, quae illorum sit constitutio, certo referunt, atque in demonstrativis signis primas tenent.*

§. IV.

Ventriculi, cibos appetentis et digerentis, omniaque interna medicamenta, quae applicantur, sumentis et promoventis, robur respiciendum in morbis esse imperat necessitas. Hujus vires et fortitudinem, cibi excrementa indicant. Ob id Antonini stabularii, referente e Galeno Doctiss. Johanne Langio l. 1. Ep. 83. equi ejus prasini stercora quotidie olfaciebant, ac etiam degustabant, an probe pabulum concoxisset, exploraturi. De morbis ipsis non paucis fidem faciunt, quae per alvum exeunt, ad quae veteres inprimis respiciebant, ut testimonia, quae id declarant, apud Hippocr. plurima habeamus. Et quomodo alias morbi varii nobis poterunt innotescere? quomodo distingui accuratius alvi fluxus, quomodo ante sciri, quid periculi subsit, aut quid spei affulgeat? nisi cognoverimus, quomodo excrementa haec sese habeant, an cruenta, an purulenta, quo colore tincta, an nigra, viridia, supra modum foetentia excernantur. Sola consistentiae diversitas multum

tum indicat, si vel fluida, tenuia, serosa et inconcocta, vel duriora et consistentia deprehendantur. Illud enim probe observandum, quod Ludovicus Duretus in Coacas Hippocratis egregie monuit. Ut *coctione crassescunt omnia excrementa, sic cruditate manent tenuia.*

§. V.

Inter signa autem, quae ab excretis e corpore desumuntur, eminent illa, quae ex Urinarum mutationibus maxima copia adducuntur, credulitate ac curiositate multorum, ingeniosa magis quam practica, numerum horum signorum nimium quantum augente. *Quod apud Pontificios est purgatorium, hoc apud Medicos est Uromantia* per jocum, solito more, scribit P. Ammannus in Paraeneſi, *quemadmodum enim illud religioni pontificiae insignem existimationem conciliat, ita haec praxi Medicae.* Tanti fit haec ex urinis desumta significatio, ut de toto morbo, et ejus eventu, e solius urinae inspectione judicium peti posse, et certi quid augurari licere, multi arbitrentur, quam urinae inspectionem Veteres Graeci Medici tanti non faciebant, atque Arabes deinde, quorum Medicina post seculum XII. in Europam translata, et fraudulenta illa divinatio ex urinis in Europam transvecta fuit, superstitiosa et nugaci Paracelsistarum vanitate multum deinde promota.

§. VI.

Deprehenderunt autem deinde uromantum fraudes et technas, callidamque illorum fallaciam egregiis libris impugnarunt Medici praestantissimi, imprimis Heurnius, Forestus, Sennertus, Joh. Lan-

Langius in Epistolis, Euricius Cordus de abusu Uroscopiae, ut jam satis repressa, et communi Medicorum consensu explosa sit ridicula temeritas et dementia, audaculorum urinae inspectione ita abutentium. Dolet interim non immerito August. Thonerus lib. 6. epist. 21. et valde conqueritur, supersesse in quibusdam locis Medicos, quorum existimatio et commendatio maximam partem ab Uromantia dependet, h. e. a temerario dicendi genere ad circumveniendum imperitos accommodato, quo Medicastri tales pauperculos pecunia emungere consueverunt. Vid. Jacob Primerosius de vulgi erroribus l. 2 c. 1. de fallacissimo Urinarum judicio; ubi bene pessimus ille mos reprehenditur, absente etiam aegro, e sola urinae, aliunde etiam allatae, inspectione vaticinandi. Etsi ergo infida saepe sint illa, quae ex urinis petuntur, atque, in malignis praesertim affectibus, sint fallaciissima; non inficiamur tamen, posse interdum ex urinis nonnulla colligi, quae partium quarundam affectus sic satis manifeste produnt. Ideoque, quid revera ex illis peti possit, veri etiam Medici docere debent, et non pauci docte tradidere, quorum vestigiis et observationum tramiti insistentes breviter utilissima exponemus.

§. VII.

Si magna quantitate, ita ut proportionem cum potulentis et liquidis assumtis eadem non habeat, emittatur urina, indicat dissolutionem et colliquationem magnam humorum, vel renum imbecillitatem, ac laxitatem; quanquam urinae quantitas et inde crescat, quod in morbis saepe per hanc viam fiat solutio, et fermentorum humo-

rumque morbificorum exclusio, praesertim quando talia in affectibus aegris exhibentur, quae per diuresin noxias humiditates expellendi vim habent.

§. VIII.

Nulla vel parcior si contingit urinae excretio non obscure significat vel (1) sanguinis consistentiam crassiorem, qualis in febrium principio, et cruditatis statu, in cacochymia, in leucophlegmatia observatur. Vel (2) aliorsum serum amandari, et a renibus averti e. g. in catarrhis, sudore copioso, diarrhoea, hydrope, quibus praesentibus urina parcior excernitur, remotis iterum, in majori copia profluit, vel (3) culpa renum aliarumque urinae viarum id accidit justo angustiorum, sive a grumo sanguinis, sive a pituita, sive, quod frequentissimum, a calculo id proveniat, sive a tumoribus vicinarum partium hi meatus comprimantur. Interdum in malignis febribus urinae paucae redduntur, interdum in principiis pessimarum febrium urina penitus supprimitur, et inter signa periturorum his morbis ἰσχȣρίαν bene reposuit Fracastorius de morb. cont. Sicut aliae quoque et mirae circa urinas mutationes in malignis occurrunt, ut fides tunc urinis nequeat haberi, quae in desperatis talibus aegris substantia, colore, sedimento laudatissimae saepius occurrunt.

§. IX.

Consistentiam urinae quod attinet, si tenuis eadem sit, nisi a copiosiore potu, penetrante et diuretico id proveniat, cruditatem denotat ventriculi, et chylificationem laesam, unde urina instar aquae limpidae excernitur; vel sanguificationem laesam ostendit, et fermentationis ac turgescen-

gescentiae sanguinis debilioris index est, activas nempe partes per sanguificationem seroso latici non esse intimius permixtas, unde debitam crassitiem et consistentiam accipere potuerit. Tenuis quoque urina obstructionem pororum et meatuum in renibus non raro denotat, urinae confundi solita in illis retineri, neque percolari nisi tenuiora, crassioribus relictis, quod crebro fit in calculo.

§. X.

Crassa e contrario urina spissitudinem suam ab impuritatibus imprimis salinis, terreis, et sulphureis, sero unitis habet, et tunc comparet, quando salsugo in corpore abundat, vel alicubi collecta est. Neque enim potest illa crassities a pituita proficisci, cum haec in liquore se non patiatur detineri, quin statim ad fundum delabatur. Solent autem urinae hae crassae, turbidae, fuscae, saepe diu tales remanere, et, quiescente utut vel in locum frigidum posito vase, quo continentur, aegre sedimentum dimittere. Aliquando autem confusae tantum sunt tales crassiores particulae, veluti in voracibus id interdum contingit, et in pueris saepissime, qui ob ἀδδηφαγίαν plurima excrementa colligunt.

§. XI.

Aquea et limpida urina quid demonstret, modo de tenui diximus, albida vero pituitam arguit et indigestum mucum, qualem in pueris modo accusata ἀδδηφαγία producit, quamque in lumbricis et febribus observamus. Aliquando pus ex renum ulceribus affusum, interdum saniem e locis genitalibus, aut fluxum album muliebrem,

rariſſime chylum latici urinoſo mixtum prae ſe fert, quale exemplum Timaeus lib. 3. caſu 43. annotavit.

§. XII.

Urinae rubicundae et flammeae vel in febribus tales ſunt a ſulphureis et ſalinis particulis, per effervescentiam febrilem magis diſſolutis, et poris ſeri inhaerentibus; vel extra febres ſaturato ejusmodi colore tinguntur, a ſalinis particulis abundantibus, vel a ſanguine urinae mixto.

§. XIII.

Quae a ſanguine hoc habent urinae, cruentae vocantur, et hae nullo ſplendore pollent, ſed colorem ſimilem ferme habent, qualis deprehenditur in aqua ſanguine mactatorum animalium mixta; poſt breve temporis intervallum grumeſcente, et ſanguine ad fundum vaſis delapſo. Vas ergo ſanguineum apertum vel eroſum eſſe talis urina certo denunciat; quod in variis corporum partibus contingit et ad contenta urinarum p. n. id potius ſpectat.

§. XIV.

Crocea urina icterum praeſentem patefacit, quando croci florum extractionem ſive tincturam refert, et hanc linteolo immerſo communicat; aliquando tamen a rhabarbaro, a rubia tinctorum, a croco uſurpato tali colore lotium infici meminiſſe oportet, ne judicium hinc fallatur.

§. XV.

In vehementiori autem icteri gradu, qui niger icterus idcirco dicitur, livida urina paſſea et ad nigredinem vergens frequenter excernitur, quod ali-

aliquando etiam in malignissimis febribus accidit, ut Sennertus in institutionibus et praxi, Willis etiam de urina cap. 4. id habet, qui internas nigrae urinae causas pluribus exponunt. Quamvis sciam, ab assumtis quibusdam urinam nigram fieri, et largiar illa, quae de cassiae uvarumque vi, urinam tingendi, Bartholinus et alii scripserunt; dubito tamen de eo, quod Mercurialis de urinis cap. 6. habet, se observasse clysteres, e sapa vel musto inspissato confectos, urinas atras reddere, et multo magis de illo, quod Avicenna et Rhases referunt, urinas nigras fieri, si corpus ligustri albi fructu tantum inungatur. Sanguinis atri mictu alias curatos plurimos, observationibus constat, quae collectae sunt in Misc. N. Cur. Germ. Ann. 2. Decad. II. et ipse Hippocrates tales habet Lib. I. Epid. Sect. 3. Aegr. III. et VII. ac pluribus in locis.

§. XVI.

Urinae aliquando inodorae prodeunt, omnis foetoris ordinarii expertes, aquam simplicem referentes, quas superius crudas diximus, alieno autem odore imbutae magnam corruptionem, renum plerumque, et vesicae, aut pudendi ulcus manifestant, nisi foetor ille ab asparagi esu oriatur, qui urinam illo inficit, quemadmodum odore violaceo terebinthinata eandem impraegnant, non tantum hausta, sed et exterius et inpr. in clysteribus applicata.

§. XVII.

Contenta urinae quod attinet, dubitatur a quibusdam, an ullum horum naturale sit, i. e. an uri-

na exacte sanorum hominum contenta quaedam habeat, quod cum aliis Sylvius praxeos lib. 1. omnino negat. Alii anxie inquisiverunt, quodnam ex tribus his Contentorum urinae generibus, nubecula, enaeoremate sive suspenso, et hypostasi sive sedimento, sanis corporibus maxime conveniat, ubi alii pro sedimento, ut Willis de urinis cap. 3, alii pro nubecula et enaeoremate, ut Moebius in Institut., pugnant.

§. XVIII.

Etsi autem has rixas non faciamus nostras, quantitatem tamen contentorum moderatam, sedimentum album ac tomentosum in urina pro superfluitate quadam succi nutritii habendum esse, ejusque aliqua portione, quae nutriendo corpori minus apta sit, nondum tamen corrupta, arbitramur. Si nempe tenuia aequalia et continua sint haec contenta, coctionis potius et digestionis indices existunt.

§. XIX.

In statu vero morboso contenta haec admodum variant, et distinguenda sunt in frequentiora illisque corporibus, quae pro sanis habentur, cum aegris communia, et in illa, quae aegris propria ac mere p. n., atque in ista, quae toto genere praeter naturam sunt.

§. XX.

Contingit autem interdum, nullam plane hypostasin subsidere, sed omne sub nubeculae vel suspensionis forma liquori urinoso innatare. Ex horum autem contentorum sublimamenti et sedimenti ortu, praesentia vel absentia, in febribus prae-

praesertim et acutis morbis, cruditas vel coctio materiae morbificae cognoscitur. Est autem hic cruditas intimior particularum impuriorum, crasin motumque sanguinis vitiantium, cum ipso spirituoso sanguine mixtio, et hinc impedita earundem cum urina excretio. Coctio est, quando eaedem particulae sanguini hactenus arctius unitae separantur, et cum urina excernuntur. Illustrat negotium optime vini productio, dum illud adhuc mustum crudum dicitur, ex arcta partium unione, sed fermentatione facta, dum mustum in vinum transit, coctum evadit, copiosa foeculentiarum secuta separatione et ad fundum praecipitatione. Quam rem egregie explicuit, et ad illa, quae circa aegros observantur, accommodavit M. Kergerus de fermentatione.

§. XXI.

Patet hinc, quaenam urina quoad contenta coctionis, quaenam cruditatis signa exhibeat. Si turbida est urina, sedimenti vel sublimamenti expers, cruda est. Si liquor clarior, sed qui enaeorema aut hypostasin exhibet ac impuritatem seponit, coctionem denotat.

§. XXII.

Non semper autem urinam cum sedimento coctionem indicare sciendum est. Hippocrates vocat subsidentiam illam intempestivam, quae fit, antequam coctio sit peracta, velut in pituitosis morbis id accidere solet. Contingit enim aliquando a copioso muco et crudo succo, morbo etiam incipiente. Considerandum tunc est cum Hipp., non solum, an candida et levis sit subsidentia, sed etiam an tempestiva.

§. XXIII.

Distinguendi autem verum ejusmodi contentum, a crudis succis haec est ratio, si bene ac salubriter morbus procedit, illud, quod, dum crudus adhuc erat morbus, sedimento bono simile apparebat, sensim apparere desinit, contrario ordine plerumque procedens quam illud, quod verum sedimentum est, et finiente morbo crescere solet. Quod vero alias apparuit, in sublimiorem partem sensim effertur, et deinde omnino evanescit, ut nihil in urina conspiciatur.

§. XXIV.

Contenta autem, quae aegris unice sunt propria, vel universalia sunt, quae a totius massae sanguineae, ipsique conjuncti seri et totius habitus corporis dispositione prodeunt atque testantur; vel particularia, quae hujus vel illius saltem visceris, inprimis per quae urina fluit, recrementa praeternaturalia sunt. Ad universalia pertinent bullae et spumae, quae in urinae superficie conspiciuntur, et tenaciores partes atque viscidam materiam in corpore abundare monstrant, et catarrhos denunciare solent.

§. XXV.

Quod sub forma pinguedinis aut oleaginosae materiae supernatat; longe a pinguedine concreta solet esse diversum, nihilque saepe aliud quam salsus humor, qui in summitate haeret, qualis crusta in morbis acrimoniam humorum summam comitem habentibus, in scorbuto et hypochondriaca dispositione, potissimum observatur. Sicuti, quando Tartarum in aqua coquimus, crusta talis super-

superficiem tegit, ita talis urina per evaporationem in substantiam crustaceam indurescit.

§. XXVI.

Non negamus interim, pinguiores et nutritias sanguinis particulas cum urina quandoque revera excerni, verumque adipem urinis confundi, ut exemplis notatu dignis evincit Tulp. l. 3. obs. 18 et 19, et haec materia non tam pinguedo extra vasa coagulata et iterum liquefacta videtur, quam oleosa sanguinis intra vasa fluctuantis pars p. n. secreta, et ab humore acriore muriatico dissoluta, corrupta, et ad renes una deducta, ut Cl. Sylvius valde probabiliter id edisserit; et annotatum est exemplum in foemina juvencula, cujus urinae in tanta quantitate pinguedo innatabat, ut in illius refrigeratae superficie, instar butyri aut olei frigore concreti conspiceretur. Imo in febribus colliquativis, ipsis solidis corporis partibus aliquid decedere, et quod resolutum est per urinam simul excerni, observationes confirmare videntur. Notatu dignum, quod habet Fernelius de urinis l. 3. c. 11. *Quin etiam*, inquit, *corporis humorumque moles nonnunquam liquescit dilapsaque diffunditur in urinas, quod modo observavimus, bibulum quendam optimo corporis habitu, diebus circiter octo, ex ingenti corporis mole, in magnam gracilitatem, citra ullam alium morbi vim, collapsum.*

§. XXVII.

Sedimenta farinacea et furfuracea scabiem vesicae, squamosa vero cum foetore ulcus illius evincere, communiter creditur, neque omnino id rejiciendum puto, sed videntur haec corporum

genera, cum crusta illa salina, urinae superficiei supernatante, de qua modo diximus, ejusdem aliquando substantiae et ortus esse. Observantur enim in illis morbis, in quibus acidum peccare alias dicitur, sive hi fuerint chronici, e. g. scorbutus, sive acuti, febres nempe, in quarum declinatione, ut verae reconvalescentiae signa, haec annotantur; quod nimirum nunc secretus et praecipitatus sit ille acor morbosus, a spirituoso et balsamico sanguine, unde tartareum ejusmodi sal coagulatur, ut sub stiriarum interdum forma, instar crystallorum nitri splendentium forma appareat.

§. XXVIII.

Arenularum, quae in urina reperiuntur, varietas bene observanda est, saepe enim excernuntur eaedem statim cum urina; saepius, ubi haec paululum steterit et in matula refrixit, demum oriuntur, et lateribus vasis sese affigunt particulae arenulis similes, materia nempe quaedam copiosa, rubra, et friabilis, quae farinae laterum bene a practicis comparatur, scorbuti infallibile signum; quod judicium magis adhuc confirmatur, si crusta simul liquori supernatat, vel eadem vasi urinali undique se applicat, sub coeruleo plerumque colore, vel colorum varietate, instar caudae pavonis per vitrum distincta, apparet. Quando autem arenulae minores fulvae, cum emissione urinae, statim et simul adsunt ac deprehenduntur, vestigia calculi in renibus aut vesica, non obscure demonstrant, quando autem fabulum illud, quod statim cum urina adest, majus est, frustulaque illius duriora sunt et tactui resistentia, morbum nephriticum adesse, plane evincit.

§. XXIX.

§. XXIX.

Si cum urina pus excernatur, ulcus adesse probat, idque a remotioribus partibus rarius prodit; aliquando tamen, si hepar vel pulmones e. g. vulnerari aut exulcerari contingat, mictum puris interdum evenisse, notarunt practici, crebrius tamen id est a renum vel vesicae ulcere. Interdum res plane alienae, et toto genere p. n. cum urina prodeunt, quae tamen ab extra saepius sunt immissae, ut illa observatio, qua ficus semina cum urina emissa, et nupera e Belgio communicata observatio, de acicula in medio vesicae lapidis reperta, et illa, quae de semine pomorum cum urina rejecto a Platero annotata est, confirmant. Quo spectat mirabilis illa mercurii mictio, in illis, quibus mercurius diversis modis fuerat applicatus, qualem deprehenderunt. Admirandi autem sunt pilosi illi mictus, quos Hildanus Cent. 3. Hist. 50. descripsit, imo certas periodos in illis deprehendit Tulp. l. 2. obs. 52. Pilorum ejusmodi generandi modum declarare, prolixe quidem studet Horstius l. 4. obs. 53. sed conatu, ut equidem censemus, irrito, meliusque forsan egisset, si cum Hildano hic obmutescente ignorantiam suam candide esset fassus.

§. XXX.

Num impraegnationem ex urinae inspectione liceat cognoscere, diu multumque apud Medicos fuit disputatum, aliis audacter id asserentibus, aliis pernegantibus; ut breviter dicamus, quod res est, ex urina gravidam dignoscere impossibile esse, docte visus est declarasse Augustus Thonerus l. 2. obs. Med. c. 11. Nunquam enim demon-

monstrabitur, mutationem quandam urinis obtingere in gravidis, omnibus et singulis propriam, et unice gravidis competentem, quare sincerum quoque est hac de re Willisii judicium in his, vel inani conjectura nitentes confidentium animis imponere, vel, quod crebrius in more iis positum est, callida versutia rem aliter exquirendo, notitiam urinae inspectioni falso adscribere.

Exercitatio tertia.

§. I.

Prudens, ac Medicis quoque, sanationem pro fine habentibus, commendatissimum Senecae est monitum, quod habet Epist. XXII, ubi opportunitatem et εὐκαιρίαν, ne elabatur, probe observandam esse monet: *Quaedam*, inquit, *non nisi a praesente monstrantur, non potest Medicus per epistolas cibi aut balnei tempus eligere: Vena tangenda est. Aliquid vultus, aliquid manus mota, aliquid ipsa inclinatio corporis intuentem monet. Quid fieri soleat, quid oporteat, in universum scribi potest; quando vero fieri debeat, aut quemadmodum, ex longinquo nemo suadebit: cum rebus ipsis deliberandum est. Non tantum praesentis, sed vigilantis est, occasionem observare properantem. Itaque hanc circumspice: hanc, si videris, prende.* Necessariam proinde, ad morborum sufficiens scrutinium, saepe Medici praesentiam idcirco etiam esse patescit, ut pulsum, hoc est motum illum sanguinis Systole et Diastole Cordis constantem, et in totum corpus pro vitae conservatione

vatione per arterias evibratum, exploret. Pulsus enim observatio in morbis ipsis et praedictionibus eventuum plurimum valet, ut, sphygmomantiam Medico utilem et honorificam esse, peritiores Medici uno ore fateantur.

§. II.

Sed et hic sobria doctrina imbuendum illum esse censemus, qui usum in arte respicit, quo carent subtilitates illae et curiositates steriles et prorsus medentibus inutiles, quas Galenus sectatus est, et maximo numero congessit, ut summi judicii Vir. Joh. Baptista Montanus, obscurasse Galenum rem totam et inutilibus distinctionibus implicasse, paucas vero admodum pulsuum differentias Medico sufficere, prudenter judicat, quae sententia Sennerti, Hoffmanni aliorumque doctissimorum suffragio est confirmata. Sunt enim plurima a Galeno producta talia, quae deprehendi nullo modo vel internosci aut tam accurate distingui potuerunt, et si vel maxime caprizantem, serratum, formicantem et similes pulsus ab exercitata manu posse sentiri fingas, quae tamen infelici consequentia inde in morbis et eorum eventibus concluduntur, cum ipsis illis pulsibus non cohaerent, sed elumbi consequentia hinc deducuntur.

§. III.

Unde facile patet, quid de Sinensium doctrina, aliis atque aliis in partibus pulsus explorantium (quod, stante illa Guilielmi Harveii de circulatione sanguinis praeclarissima doctrina, vanissimum esse quivis videt) et miranda hinc edicentium, sentiendum sit. Dum hoc modo omnes circa morborum ortum ac eventum circumstantias, etiam

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0037
DFG

fortuitas et cum pulsu cordis nullam penitus conexionem habentes determinare illos posse scribunt, prout in specimine Medicinae Sinicae Societatis Batavicae Orientalis Archiater Andreas Cleyerus declaravit; scilicet aut fraudem et imposturas, aut magici quid subesse merito doctissimi viri arbitrentur. Quemadmodum et Japonenses ex pulsu prophetas agere, et non tantum illa, quae ex hoc cognoscendi fundamento recte non fluunt, sed plurima insuper ab arte alienissima, virtutis characteres, animi occultiora vitia et quae imminent homini pericula patefacere posse referunt. Illud tamen puto in his populis laudandum, quod in exploratione pulsus longe attentiores sint Europaeis, longumque tempus illius explorationi insumant, secus quam a vulgaribus fit apud nos medicis, qui post pauciſſimos pulsus ictus perceptos manum removent, et medicamenti formulae praescribendae festinantem admovent, cum tamen interdum utile sit, eousque pulsuum rythmos observare, usque dum tota sanguinis massa, saepe inaequalem consistentiam et mixturam habens, circulatione per corpus fuerit propulsa.

§. IV.

Sciendum vero in limine hujus doctrinae illud est, non semper illico pulsus explorationi habendam esse fidem, et nunquam illi soli διάγνωσιν aut πρόγνωσιν superstruendam. Properandum non est judicium, sed investigandum probe, num causa erroris alicujus subsit, antequam hinc de aegri statu aliquid concludamus. Nulli morborum generi magis applicari potest pulsus quam febribus et affectibus cordis, et tamen in malignis pulsus,

si

si huic soli fides habetur, imponit medentibus non raro, dum rythmum aequalem naturalemque servat, rebus utut angustis et periculosis. vid. Schenkius l. 2. observ. ubi fallaces pulsus tales quandoque esse pluribus declarat. Quanquam ergo in pulsu signum malignae febris merito quaeratur, tamen πολύμορφον non tantum eundem hic deprehendunt Medici pro veneni varia pernicie, sed interdum naturali similem, morbo etiam adulto; aut si quae levis sit alteratio, ea cum interiori viscerum incendio comparari nullo modo possit.

§. V.

Ne in pulsus consideratione aberremus, notandum porro est, decipere eundem posse propter anomalias et inordinationes, quae nonnullis in pulsu sunt consuetae et naturales, quod Schenkius c. l. et Cl. Deodatus in Valetudinario probe exposuit, adeo ut bonum sit, siquidem id fieri potest, ante cognoscere, an tale quid ordinarium sit homini dum valet, quod morbum alias mentiri posset.

§. VI.

In mulieribus utero laborantibus et passionibus hystericis obnoxiis falleretur non raro Medicus, si e solo pulsu judicare vellet, mutantur enim et hinc iidem; subvertuntur, imo sufflaminantur et pessimi apparent; discusso paroxysmo uterino ad pristinam regularitatem revertuntur. Peculiari observationi hoc monitum includit Dominicus Panarolus part. 4. observ. ult., et, quam lubricum hinc aliquando in mulieribus signum sit pulsus, edisserit. Ut minime rejiciendum sit,

sed

sed huc spectet, quod Doctiss. C. Hofmannus in Inst. de signis e pulsu delumtis, aut e pulsu sua natura fallaci, in fallaciori morbo, non nisi fallax judicium ferri posse, et quod jam olim Celsus l. 4. c. 6. scripsit: pulsum saepe esse rem fallaciss imam, cum crebro ex levi causa, ira, curis, terrore, tristitia, motu, excalefactione corporis et multis aliis mutetur. Imo, ad ingressum et aspectum Medici, aliarumque personarum, quas aegrotantes metuunt aut vehementer diligunt, pulsum variare, sphygmicae artis insignis autor Josephus Struthius Polonus edocuit, qui non tantum optima signa et certiora, quae huc spectant, ex Galeno depromsit, sed plurima docta et ingeniosa de suo adjecit. Lepida et rem modo propositam bene illustrans hujus Struthii est observatio, quam sequentibus verbis consignat: *Memini, me jam olim PULSUS AMORIS primum experimentum feciss e, in uxore cujusdam civis nobilis, quam subolfeceram adulteri amore fuisse correptam, sed nescivi, quis esset. Cum assiderem quadam die ei foeminae, coepi de industria percunctari res plurimas ab ea, quarum cognitio ad curandam eam (nam maritus ejus, medendi causa, in febre curae meae eam commiserat, peregre proficiscens) videbatur esse necessaria. Interim vero manum ejus attrectabam et tangebam arteriam interpellatim. Insinuavi quoque mentionem multorum hominum coram ipsa, quos nominatim recensebam. Quum vero inter caeteros nominavi eum, quem ipsa deperibat, coepit illico pulsus feriari ac ex naturali fieri multo minor, celerior, crebrior, et languidior, sed in iis omnibus inaequaliter commutatus sine ullo ordine pulsus paruos in magnos, debiles languidos et vicissim hos in illos, similiter et celeres in tar-*

tardiores, crebriores in rariores, et e contra. Perseveravit vero ea pulsuum mutatio aliquousque, nec cito desiit. Ac ego tum conjectura sum assecutus, illum ipsum fuisse ejus adulterum, ad cujus commemorationem ipsa tantum expavit et pulsus perturbavit, quod non contigit, dum aliorum juvenum praeter adulterum mentionem facerem. Talem autem pulsum in ea reperi ad recordationem sui adulteri, qualis fit in timore, dum ei repugnat natura et facit hominem anxium et distractum.

§. VII.

Ante omnia autem debemus nobis aliqualem, utcunque id fieri potest, ideam pulsus naturalis hominis adulti et infantis quoque, cum hic longe alius sit, formare, citra comparationem enim cum pulsu sani hominis de pulsu aegri judicare nequimus, semper tamen simul attendendo, per aetates, temperamenta, motus animi et corporis, somnum atque vigilias, regiones et climata, sexum, diversa tempora a pastu, pulsum variare posse, et solere.

§. VIII.

Ubi tamen meminisse et illud oportet, saepe discrimen naturale in certis subjectis maximum occurrere, accidit enim, ut aliquando in uno carpo pulsus plane non deprehendatur, aut in uno latere imbecillis, in altero multo robustior et major occurrat, quoniam in illo carnibus et tendinibus magis cooperta et profundius immersa est arteria; ut minime, si alterius carpi pulsus languidius vibret, illud protinus aut cordis debilitati aut sanguinis qualitati imputandum sit. Accidit etiam, ut arteria, antequam ad carpum pervenit, flexum

faciat, et in altera adversa parte et flexura brachii tangendam se praebeat. Oppido autem rarum est, quod Cl. Pechlinus in Observ. describit, unius carpi pulsum manifestum ante, et similem alteri, sic lente sese manibus subduxisse, ut deletus fuerit omnino et postea non apparuerit.

§. IX.

Monitum ergo Praeclariss. Medici Guilielmi Ballonii, quod Ephem. l. 2. habet, commendo plurimum, ubi scribit: *Utriusque manus pulsum continges. Diversus enim saepe est, et in multos incides, quibus alias dextrae arteriae corpus profundius latet, alias sinistrae, unde in febribus continuis vidimus aliquando dextrae arteriae pulsum frequentem magnum et elatum in omnem dimensionem. Unus a remediis tentandis revocabat, alter remedium validissimum clamabat.* Rarum phthisici cujusdam exemplum, qui in exulcerati lateris carpo pulsum habuit frequentem et prorsus inordinatum, in altero autem et sano latere vix aut nihil immutatum annotavit Ol. Borrichius in act. Med. Haffn. Ann. 1671. observ. 68.

§. X.

Interdum ex aliis variis causis impedimentum occurrere potest, quod arteriarum pulsus impediat aut sufflaminet, ut res saepe careat periculo. Ob tumores occultos, comprimentes in aliqua parte arteriam, impeditur ejus debita dilatio, et obscuratur vel deficit pulsus in una manu, qui eo saepe est manifestior in altera. Vid. Panarollus, observ. 32. l. 1. Ob praesentem solam plethoram pulsum intercipi, vid. ap. Schenk. l. 2. Observ. ubi de

de pulsu agit. Latentia quoque saepe et occultissima cordis vitia subsunt, quae expulsu imminuto aut sufflaminato nequeunt distincte cognosci. Scire enim oportet, a substantia cordis ejusque sinubus et valvulis diversimode gravatis imbecillem fieri pulsum et definere, qualia tamen vitia ex mutatione hac in pulsu determinare impossibile est; pulsum inaequalem et cessantem subinde, cum cordis auricula a materia crassa et pituitosa repleretur, describit Riverius observ. 77. Cent. 2. Impeditam cordis contractionem, et per consequens pulsum a calculo, Kerkringius Spicileg. Anat. observ. 78. a polypo columnis et valvularum cuspidibus in corde adhaerente habet Tulp. l. 1. observ. 27, et Lowerus de corde, qui idem ab arctiore pericardii cum corde cohaesione contigisse notavit; ab hydrocardia seu aquae pericardii nimia copia hoc evenisse, Hild. Cent. 7. Observ. 43. exponit quam ultra libras quatuor se in quodam deprehendisse testatur. Haec autem recondita vitia, quae pulsum imminuant et suspendunt, post mortem demum factis cadaverum sectionibus innotescunt.

§. XI.

Haec omnia tamen propter multiplices, qui alias accidere hic possunt, errores probe consideranda sunt, antequam de sanguinis motu et qualitatibus ex pulsus mutatione judicium depromendum est. Duo enim inprimis ex pulsu cognoscimus, 1. Statum vitalis illius turgescentiae et fermentationis massae sanguineae, et 2. Ex fermentante et spirituascente sanguine virium vel robustiorum vel infirmiorum conditionem.

§. XII.

Ut haec specialius declaremus, de quibus mutationes admota manu in pulsu deprehensae praesertim testentur, exposituri, omne pulsus discrimen reduci posse arbitramur ad robur, magnitudinem, et frequentiam. Imo parum interesse putamus, quo minus et priora duo conjungantur. Augeri ergo pulsum vel ratione spatii, quod in arteria emetitur, quando amplo spatio illa ferit, et magnus pulsus dicitur. Vel ratione roboris, et vehemens vel robustus vocatur, quando tangentis manum valide et cum reniſu aliquo percutit, vel tertio, quando respectu quietis interjectae minoris frequens fit, hoc est, qui intra idem temporis spatium saepius et brevi interposita mora recurrit. Quorum differentiis pulsuum auctorum equidem celeritas ab aliis annumeratur, quae tamen sensibus non dijudicari sed mente concipi potest. Magnus ergo vel sanguinem copia peccantem indicat, vel sanguineum liquorem expandi praeter modum et motu nimio intestino rarefieri. Defectuosam vero esse hanc turgescentiam, ex pulsu parvo, in quo parum attollitur arteria, judicamus, et debilitatem ac vitalis facultatis vigorem fractum colligimus.

§. XIII.

Virium quoque constantium, spirituum roboris et copiae, vel agitationis et rarefactionis sanguinis laudabilis indicium praebet pulsus, qui robustus proportionatam quoque et justam sanguinis humorumque misturam significat, debilis e contrario deficientium virium, particularumque activarum in sanguine, debilis fermentationis et pravae humorum dispositionis signum exhibet. Frequens intestinum sanguinis motum adauctum pari-

pariter significat, et ab agitatione quoque et contentione totius naturae saepe inducitur; frequentior etiam fit pulsus a frequentiore respiratione ob sanguinis frequentiorem ad sinistrum ventriculum appulsum. Licet enim cordis motus a respiratione non dependeat, quod Constantinopolitanus ille scriptor Alexander Maurocordatus declarare conatus est, respirationem tamen crebram circulationem sanguinis augere dubium non est. Rarus et tardus pulsus, sanguinis fermentationem praeternaturalem et febrem abesse, declarat, partium spirituosarum defectum, interdum etiam copiam sanguinis vasa nimis replentem, vel crassitiem illius et visciditatem denotat.

§. XIV.

Ratione instrumenti, per quod fit sanguinis motus, pro arteriae nempe conditione, pulsus vel mollis vel durus dicitur; quae arteriae duities nihil aliud est, quam quando p. n. tensa aut convulsivam aut spasmodicam fibrarum contractionem passa est, unde renitentia illa in extensione sequitur, id quod a membranis quodam in loco affectis et dolentibus contingere interdum solet.

§. XV.

Simplices hae differentiae pulsuum, quando conjunguntur, dant differentias compositas, inter quas bona est conjunctio, si magnus et rarus sit simul pulsus, illa enim, calorem a morbo abesse, et viribus pollere aegrotum, ostendit. Si frequentia cum magnitudine adsit, praesertim si calor p. n. in partibus simul observetur, febrem, sed eam benignam, et vires ab hac non suppressas esse, indicium praebet. Saepe, ubi parvus et tardus est, cor sive spiritus vitales admodum debilitatos ac spem

in angusto esse, tristis est nuntius, qualis tamen ab angustiis magnis, hysthericis pathematibus interdum fit, ubi tamen ad pristinum vigorem pedetentim redire pulsus et haec illius mutatio diu perseverare non solet. Debiles parvi et frequentes pulsus sunt omnium pessimi, febrem magnam, oppressas dejectasve simul vires spemque vitae servandae ferme praecisam demonstrant. In doloribus tamen ingentibus si pulsus fuerit parvus, terrere id statim Medicum non debet. Confer. Batholin. Cent. V. hist. 37.

§. XVI.

Si pulsus subsequentes sunt ut antecedentes, dicimus pulsus esse aequales, si differentia hic occurrit, inaequalitas oritur, quae et in magnitudine pulsus et ejusdem frequentia accidit. Quamvis autem magnam sanguinis crassitiem, dyscrasiam, turbatam temperaturam inaequalitas ejusmodi prae se ferat, et sanguinem ad coagulationem tendere periculum maximum subesse patefaciat, et in morbo confectis ferale signum sit, in sanis antehac periculi malique augurii plenum; evenit tamen, ast rarius, ut integro corpore et valetudine utraque inaequalitas sine praesentaneo periculo deprehendatur, tunc scilicet, quando inaequalitas cum pulsu magno et vehementi est conjuncta. Quaedam enim circumstantiae bene sunt perpendendae, antequam de respectivis his pulsuum differentiis feratur judicium. Intermittit pulsus saepenumero in febribus malignis ob grumescentiam et coagulationem sanguinis, quae p. n. in pulsu interpolationem efficit, praesertim quando malignitas ad Cor tendit, sanguinemque ibi opprimit.

primit, unde tanta in respiratione anxietas urgere tunc simul solet. Evasisse tales et servatos esse, quorum pulsus in malignis manifeste intermittebat, observationes testantur. Meretur hac de re inspici Joh. Wierus in observ. raris, ubi de curatione febris malignae agit et de pulsus intermittentis praesagio disputat, et inter alia haec habet: *Redeus septima die ad aegrum meum in acerbo consanguineorum adstantium luctu, citra ullam dilationem digitis carpo admotis, pulsum percipio intermittentem tertia quaque pulsatione, qui primo quidem contactu terrorem incutit. Examinatis vero interea signis caeteris, indeque certa convalescentiae spe data, quicquid discriminis portendebat variata illa cordis et arteriarum motio, id totum retuli ad acerrimam naturae cum vi morbi concertationem, neque conjecturam meam eventus fefellit*; ubi paulo post Wierus hoc monitum annectit: *Proinde manifeste apparet, hanc praedicendi cautionem a Medicis esse observandam, ne animo perculso de valetudinis recuperatione statim diffidant, quando pulsus intermittens occurrit, cum causae quidem morbificae magnitudinem et ancipitem oppugnantis naturae luctam denotet, non tamen mortis propinquitatem, nisi plurium lethalium signorum tanquam τεκμηριον accessione confirmetur artificiosa conjectura.* Porro, in hypochondriacis et scorbuticis paroxysmis pulsum intercidere, notare oportet, ubi tantum discriminis id non habet, quia cum sanguine acidae vel austerae particulae mixtae sunt, quae grumos pariunt et cordis motus turbant. In qualibus subjectis flatus etiam pulsum unice sufflaminare posse bene exponit Pechlinus observ. VIII. l. 2. et exemplum de quodam ibidem habet, cui flatuum exsurgentium copia mi-

rifice cor constringebat, et suspendebat pulsus, statim vero, atque copiosi ructus exirent, liberabatur cor, et intermissionis pulsus immunitas sequebatur.

§. XVII.

Est etiam, ubi pulsus intermittens naturalis quodammodo est, qui ob Idiosyncrasiam a primo ortu interdum talis est. Interdum ad senium appropinquantibus accidit sine notabili detrimento, et ipse in septuagenario id notavi, qui de reliquo integerrima sanitate fruebatur. Eleganter Pechlinus de senum pulsu intermittente l. c. tale fert judicium: *Natura in illo fluidi spirituosi deliquio, quo pluribus sufficiat ictibus valide exsequendis, unam compendio intermittit, hoc vero semper securior est illorum conditio, quo rarius intermittit seriusque, nam, si crebro id fiat et tertio quoque aut quinto intervallo, imbecilles esse spiritus et casibus quibusque obnoxios, necesse est.*

§. XVIII.

Pulsus intercurrens valde laborantem sub morbi onere et cum hoc pugnantem naturam indicat, adeoque instantibus crisibus saepe deprehenditur, et saepe judicationem attulit.

§. XIX.

Myurus sive vermicularis in moribundis et agonizantibus deprehenditur, in quibus saepe mirabiles pulsus anomaliae et inaequalitates occurrunt: modo tremulus est et undosus, quando instar undae sub digitis, sine manifesta inter utramque micationem quiete decurrit; modo subsultat vici-

vicibus interruptis, fit caprizans, ut loquuntur, paulatimque ecedit, ubi, mortem inſtare, tuto pronunciare licet.

§. XX.

Requiſita ad ipſam pulſus explorationem utilia potiſſimum ſunt: ut digiti pulſui applicati neque frigore rigeant neque nimio calore aeſtuent. Applicentur ſuſpenſa manu carpo aegrotantis, vel aliquot ſucceſſive digiti, vel pollex, prout aſſuefactio id fert, et cum leni aliqua compreſſione tangatur arteria, inprimis enim hoc juvat, quando pulſus robur et magnitudinem indagare conamur, an enim vehementer ſe expandere conetur arteria fortesque ſint ictus, rectius ſic licet judicare. Aliquando in carpo commode exploratio pulſus non fit, quando vel Epicarpia ſunt applicata, vel aegre patiens manum exporrigit, aut praepinguis eſt, tum alio in loco, in temporibus, ubi nuda magis etiam eſt, tangenda arteria, vel manus cordi admovenda. In infantibus in digitorum extremitatibus licet pulſum deprehendere et in temporibus, quod facilius ferunt infantes, qui manum tamdiu in quiete tenere detrectant.

§. XXI.

Quamvis vero, ſanguis quamdiu intra vaſa movetur et calet, aequabilis videtur liquor, e Vena ſecta vero aëri expoſitus ſponte in diverſas partes ſecedit, et ſimilaris ante conſtitutionis, quamprimum calorem nativum exuit, protinus (ceu diſſimilare quiddam) in varias partes abit. Atque ex his ipſis illorumque conſiſtentia et colore ſigna quoque depromimus, cauſarum morborum

indolem denotantia; dummodo non nimium his ipsis tribuamus, et sanguinis pleraque vitia ex inspecto sanguine vena secta elicito nos judicare posse cum ignarissimis tonsoribus praesumamus. Incerta saepe et valde lubrica haec sunt, multorumque gravia sanguinis vitia experientium sanguis venis eductus parum vel nihil differt, quoad qualitates sensibus obvias, a sanguine hominum sanitate fruentium.

§. XXII.

Vasis autem emissus sanguis vena a Chirurgo secta, vel ex naribus sponte effluens, in duas partes sponte secedit, in cruorem nempe proprie dictum, qui in coagulum se componit, ac serum fluidius supernatans. Variam vero ad invicem proportionem habent solidior illa et rubicunda sanguinis portio, et fluidius serum, ut nihil certi hic possit determinari; aliquando serum rubicundum sanguinis grumum longissime superat, aliquando perparum seri conspicitur, tota massa in coagulum guttis hinc inde irriguum abeunte, neque id obtinet solum in hominibus diversis, sed etiam in iisdem diversis temporibus. Illustris Boyleus, modo partem consistentem uncias sex drachmas tres, serum vero uncias quatuor et drachmas sex cum dimidia, modo partem solidiorem uncias quatuor drachmas quinque, serum uncias quatuor, modo coagulatam sanguinis partem sex circiter uncias, ac serum non multis drachmis illud infra pondus ponderasse, comperit. Existimandum vero non est, in spontanea hac separatione ita secessisse serum, ut intra fibrosam consistentiam penitus reperiatur nullum, quin, cum mol-

molliuscula haec sit, separata diffluat, manus humore inficiat et pressa sanguinolentam lymphan stillet, omnino tenendum est, multum seri intra fibrosa stagnare interstitia, quod apertum fit, si modum illum adhibeas, serosam gelatinam a grumo qui nihil illius oculo fistit accuratius separandi, quem describit Celeberrimus Bohnius in oecon. corp. hum. progymn. xiij. Accidit vero per morbos, ut sponte secessio seri purpureae sanguinis parti intertexti, et hanc in spissitudinem talem reducentis contingat, consistentia sanguinis hinc pereunte illoque nimium serescente, ut in subjectis colluvie serosa obrutis, et ad hydropes pronis evenit, in quibus seri gelatinoso glutine rubicunda sanguinis portio non ita conglomerata renetur, sed hujus molem serosa substantia longissime superat, quod pulchro spectaculo apertius fit, si Malpighii et Lewenhoeckii modum usurpamus, fluidum et calidum adhuc sanguinem tubulis vitreis appropriatis immittendo, et aqueam humiditatem ipsique exili tunc numero innatantes grumulos rubicundos microscopio perlustrando examinamus.

§. XXIII.

In partium internarum inflammationibus, inprimis acuta pleuritide, sanguis Venae sectione eductus crustam albam gelatinosam in summitate concrescentem diversi coloris et diversae densitatis et crassitiei monstrat, quae lentescens nutritia sanguinis portio videtur, ob nimiam illius incalescentiam et mutatam mixtionem a reliquo sanguine separata, et in superficie in cremorem talem veluti coacta; quapropter in aliis quoque febri-

bribus et in quibusdam scorbuticis id etiam deprehenditur. Ad consistentiam itaque sanguinis plurimum respicere oportet, si, quale sit illud, quod in corpore peccat et morbum fovet, cognoscere cupimus. Si acre dissolvens abundat, coccineae et rutilantis rubedinis ac difficulter coagulabilis sanguis apparet, quod in hecticis et malignis ac pestilentibus febribus saepissime observatum. *Sanguis peste affectorum*, scribit Sylvius, *aliquando quidem magis consistens observatur, saepius vero dissolutus et sponte coagulari nescius.* Nobiliss. Wepferus Histor. Apoplect. xvj. in Schol. scribit: *sanguinem in cordis ventriculis et vasis majoribus fluidum nec post obitum grumescentem in cadaveribus febri continua defunctorum aliquoties et nonnunquam Venae sectione emissum febre maligna aegrotantibus observavi.* Contrariam sanguinis in malignissima febre constitutionem annotavit Simon Pauli digress. de febr. malign. sanguinem emissum, floridissimo colore conspectum, sed adeo crassum, tenacem, lentum, ut vasa rotare, imo plane invertere fundo vasis suprema occupante licuerit, citra guttulae dispendium.

§. XXIV.

Color ergo, consistentia aliaeque educti sanguinis affectiones subindicare nobis poterunt latentem causae in morbis constitutionem, sicuti visciditatis, quae frequens sanguinis est vitium, spuma quoque index est, ob quam aër se extricare nescius conclusus haeret, illam tamen aliquousque propellens in vesiculas attollit. Plura et specialiora adduxit Joh. Jessenius in judicio de sanguine vena secta dimisso cum notis J. P. Brunonis, dummodo in omnibus illa probe attendantur, quae Franciscus

Boyle

Boyle in problematibus Medicis prioribus circa sanguinis evacuationes tum sponte tum arte factas bene et prudenter monuit. Ex arbitrio scilicet Chirurgi venam aperientis et sanguinem effluentem hoc vel illo vasculo excipientis multas sanguinis educti mutationes pendere, et, prout hoc vel illo modo sanguis refrixerit, diversos illius colores nasci.

§. XXV.

Ex linguae colore, siccitate, crassitie et magnitudine morborum signa quoque deprimimus, situm illum ad id ipsum peropportunum inprimis attendentes. Est enim locata in confinio et exitu trium magnarum cavitatum sive regionum, capitis, thoracis et abdominis, ratione oesophagi, ut eorum excrementa reciperet: quemadmodum id pulchre explicat Joh. Riolanus in Anthropographia. Equidem nonnulli, interque illos Sanctorius l. de methodo vitand. errorum, qui in arte med. contingunt, artem ex lingua judicandi inutilem et nullam voluit. Cui oppositit peculiarem libellum de lingua maximo morborum acutorum signo Prothus Casulanus Sarsenfis, ubi, judicia e linguae inspectione in morbis desumpta plurimis aliis certiora esse, declarare annisus est. Paucis multa complexus est Georg. Baglivus, quando de his signis haec habet, quae experientia usquequaque conformia censemus: Lingua praeceteris subindicabit intimiorem morbosi sanguinis statum, si acidus sapor in ea redundaverit, acidam sanguinis vel aliorum humorum abeodem derivatorum constitutionem manifestabit; si salsus, salsam; si amarus, amaram; si viscidus, mucosus

cosus et insipidus, talium partium copiam; si humida lingua fuerit, humidam, si sicca, siccam et inflammatoriam diathesin. Demum pro secreto tibi sit, Lector, me certiorem de sanguinis statu indaginem aliunde non haurire, quam ex lingua, per quam immediate manifestatur morbosum illud in sanguine superabundans, neque in itinere mutatur, prout in excretis per alia corporis emunctoria contingit; ideo magna fides linguae affectibus et mutationibus adhibenda in morborum cognitione. Cave igitur, ne discedas ab aegro in cujuscunque morbi curatione, nisi prius linguam inspexeris, praesertim si de internis inflammationibus suspicio fuerit, quas tibi certissime explorabit lingua, utpote quae in minima inflammationum suspicione statim exsiccari incipit, et crescente inflammatione crescit pariter et siccitas linguae.

§. XXVI.

Cognitionem partis affectae semper et simpliciter ad curationem morborum requiri, equidem multi theoretici acriter propugnant, quos tamen experientia refutat, quae non semper aeque necessariam illam esse ostendit, et citra eandem sanationes morborum internorum felicissimas non ab Empiricis tantum sed veris Medicis fieri comprobat. Niti tamen debemus, quantum licet, ut in cognitionem sedis et partis laesae semper perveniamus, cum medentem id plurimum juvet et confirmet.

§. XXVII.

In viventibus autem ex variis fundamentis signa laborantis et vitii causam foventis partis de-

pro-

promimus. Ac praecipue quidem 1. e ſitu mali, quo tenetur aeger, ſive illud tumore, ſive calore, ſive colore, ſive dolore (ad cujus ſpeciem et proprietatem perpetuo etiam hic advertendum eſt), ſive gravitate et moleſtia indicibili ſe prodat. Ubi exactam naturalis partium ſitus oportet habere notitiam, quamvis et hac inſtructus difficultates hic propter mirum partium conſenſum arctamque connexionem et vicinitatem inveniat, ut fundamento huic totum judicium inaedificandum non ſit. 2. Excreta affectam partem patefaciunt, tum praeſertim, quando ipſius viſceris particulae excernuntur, aut excreta illa uni parti ita propria ſunt, ut hanc et non aliam affectam eſſe ſignificent. Sic, in vulnerationibus exeuntibus, fecibus alvi, inteſtina laeſa; ſanguine florido et coccineo cum ſaltu proſiliente, arterias ſauciatas eſſe, apertum eſt. 3. Indicatur pars affecta ab actionibus laeſis, quamvis actio laedi poteſt, etſi illius ſubjectum non primario laboret, ſed alia pars vicina aut cum illa conſenſum magnum habens affecta ſit. Interdum etiam multae actiones laeſae concurruut, quarum hae unam, aliae aliam partem affectam eſſe monſtrant. Plures etiam partes ad unam actionem ſaepe requiruntur, ut hac laeſa non ſtatim, in quanam parte ſedes mali ſit, pateſcat; veluti in urinae ſecretione, reſpiratione, viſione laeſa eſt manifeſtum. Ex praejudicio etiam actiones partibus tribuere non debemus, veluti factum id eſſe, redundante hinc in artem ipſam errore, exemplo hepatis et lienis notiſſimum eſt, neque in inquiſitione partium laeſarum ſemper partes ſolidae ſpectandae, ſed magis ſaepe ad ſanguinis humorumque conſtitutionem eſt reſpiciendum.

In

In his enim principia morborum, primaeque actionum laesarum causae sitae saepe sunt.

§. XXVIII.

Unde et, defunctorum corporum anatome instituta, frustra non raro in visceribus et solidis partibus labem quaesiveris. Etsi saepissime morbis exstinctorum diligens et citra praejudicium suscepta sectio quam maxime in sedis morbi et affectae partis cognitionem nos deducat, ut, quoties occasio nascitur illam instituendi, eandem avide arripere Medici soleant. Praejudicium tamen procul sit, ut diximus, neque in hydropicorum cadaveribus ad solius hepatis, neque in Apoplecticorum ad solius capitis anatomen culter dirigatur. Neque etiam illa persuasio nos decipiat, illam fiente et vigente morbo perpetuam illius sedem fuisse, quam notabilem habere labem per anatomen cognoscimus, cum haec morbi ipsius saepe non causa sed mali productum sit. Haec enim labes saepe demum in visceribus nascitur, variasque mutationes subit, nec in illo statu laborante aegro saepe fuit, in quo anatome cadaveris eandem esse ostendit.

Exercitatio quarta.

§ I.

Iis, quae superioribus exercitationibus de Signis Medicis exposuimus, pauca de prognosticis adhuc addenda erunt, in quibus sagacitate incredibili obser

obſervandis et enarrandis diligentiſſimus et admirabilis fuit Hippocrates, ut patet ex ejus libris prognoſt. Coacar. praenotion. Epidemiis hiſtoriis et Aphorismis. Prognoſtica ſua ſequentem in modum orditur, et paucis multa complectitur: *Medicum praenotionem adhibere, optimum eſſe mihi videtur. Praenoſcens enim et praedicens apud aegrotos et praeſentia et praeterita et futura, et, quae ipſi aegroti delinquunt, exponens, fidem utique fecerit, quod aegrotorum res magis cognoſcat, quare audebunt homines, ſe ipſos Medico committere. At vero curationem optime fecerit, ubi praenoverit futuras affectiones. Sanos equidem facere omnes aegrotos, impoſſibile eſt. Quandoquidem vero homines moriuntur, alii priusquam Medicum vocent, prae violentia morbi, alii vero accito etiam Medico derepente vita decedunt, quidam, ubi unam vixerunt diem, quidam tempore paulo diutiore, antequam Medicus per artem adverſus ſingulos morbos repugnet. Itaque noſſe opportet talium affectionum naturas, quantum corporum vires excedunt, ſimul vero et, ſi quid divini in morbis ineſt, etiam hujus praenotionem ediſcere. Ita enim merito admirationi fuerit, et Medicus bonus exſtiterit. Nam, quos ſuperſtites manere poſſibile eſt, eos adhuc magis conſervare poterit, ex multo tempore antea conſilium adhibens ad ſingulos, et tum morituros, tum ſervandos praenoſcens et praedicens, a culpa exors fuerit.*

§. II.

Nihil certe ad commendationem prognoſticae doctrinae pulchrius et verius dici poſſet. Quandoquidem enim non raro plus docta arte valet morbus, neceſſe eſt, et propter ipſam curam prudentius gerendam, et ut nihil, quod ipſi obſit, vel

aeger ipse vel ministrantes committant, et ob alias quoque subinde gravissimas causas, quae et aegrum et alios, quos moriens post se relinquit, tangunt, ut mature artificiosa conjectura praecognoscat Medicus, an et quomodo curabilis sit affectus; adeoque et eventum morbi, et modum eventus, et, tempus eventus prudenti prognostico eruat, et ubi opus et fructuosum videbitur, caute patefaciat. Arte enim et prudentia praedicere oportet, nihil polliceri, quod in potestate artis situm non est, sed candide potius fateri, quod ars praestare non potest. Non debemus nos in praedicendo ut divinatores, sed ut artifices gerere, non temeritate fortunam experiri, non ambiguis vocibus astu fermentatis circumvenire aegrotos et adstantes; quam inconsultam quorundam audaciam vivis coloribus depingit Doctiss. Valesius in Controv. med praefat. in lib. X.

§. III.

Fundamentum prognoseos, ut pariter verbis modo recensitis clare indicavit Hippocrates, est attenta et circumspecta consideratio virium, et roboris naturae in aegrotante, ac morbi ipsius magnitudinis et violentiae; utriusque diligens aestimatio et mutua collatio, ut sic appareat, quodnam ex his praevaliturum sit.

§. IV.

Inprimis autem functionum laesiones Medicus in prognosticis spectare debet, et illarum praecipue, quae ad vitam simpliciter sunt necessariae, et quarum proinde vitia vitae inprimis insidiantur. Ex hoc fundamento prognosis creberrime petitur:

ut

ut de pulsu (cordis tabellario a quibusdam non inepte nuncupato) jam est expositum.

§. V.

Ut autem porro selectiora, at certiora, quae huc spectant, breviter exponamus, et quae in superioribus nondum adducta sunt, suppleamus, notanda arbitramur inprimis sequentia. Ad respirationem quam maxime etiam inter signa salutis et mortis respicere oportet. Si enim haec crebra, brevis, anhelosa, cum stertore aliquo fiat magnoque labore, multa hinc depromimus. Omnes, qui occumbunt vitae termino appropinquante, respirationem sibi supprimi experiuntur; si velox et difficilis simul, praecordiorum anxietates indicat, et tunc praesertim, quod bene notandum est, nihil boni portendit, quando sedes morbi non est in pectore. Ex vitalibus ergo his functionibus certissimae spei aut metus notae petuntur, quamvis nec naturalis actio, nec animalis, quae sensum et motum involvit, negligenda sit, utut haec saepe affecta et laesa esse soleat, etiamsi mortis periculum non adsit, corruptis scilicet instrumentis functionum animalium, a quibus vita non pendet, quandoque eadem integra, satisque vegeta saepe cernitur, morte jam instante et vitae limen occupante. Laborantibus autem valde ac debilitatis spiritibus, qui primaria hujus actionis sunt causa, sanguinem quoque et ipsam vitalem facultatem male habere necesse est. Proinde si lassitudo insolita, si defatigatio veluti totius corporis, qualis post graves labores peractos deprehendi solet, sentiatur, et hinc a vigore pristino functiones remittant, morbum imminere indicio

est; quemadmodum, malignissimis febribus initium sumentibus, tales ossifragae lassitudines observantur.

§. VI.

Stupor partium tam externarum quam internarum malum signum est, dolores non persentire durante illorum causa, spirituum influxum labefactatum arguit. Quando brachia et pedes rigidi fiunt et stupidi, si vomitoria nihil operantur, aegri urinam nisi admoniti emittunt, clysteres plane retinere non possunt.

§. VII.

Morbos graves in senibus vel alias debilioribus esse periculosiores, notissimum est. Febres, quae in juvenibus periculum non habent, senes necant. Ita quartana, quam vegetus juvenis sustinet et vincit, decrepitum occidit, quod egregie exponit P. sal. Diverf. in Hipp. l. 1. de morbis. Infantes gravissimos saepe morbos, praeter exspectationem sollicitarum matrum, imo et Medicorum quoque, superant, praesertim malignos, diaphoreticis expugnandos, ob mollem et perspirabilem corporis habitum, per quem morbum efficientia maligna miasmata facilius expelluntur.

§. VIII.

Mentem constare aegrotantibus, semper bonum est. Nil boni ratio laesa portendit, quibuscunque etiam morbis illa adsit. Utut vero in febribus malignis mali ominis sit delirium ferox, nec minus tamen in illis morbis extimescendum, in quibus mentis perturbatio consueta alias non est.

§. IX.

§. IX.

Instare autem delirium, signis saepissime innotescit. De Oculorum insolito fulgore et motu mentio jam facta est superius; quo spectat, si, qui quieti hactenus fuere aegri et verecundi, varios insolitosque motus peragere incipiunt, nec adstantibus etiam peregrinis ab illis desistunt; membra, quae pudor tegere jubet, denudant; festucas legunt, pulvinaria identidem attrahunt, vociferantur.

§. X.

Si deliriis somnus subsequatur, bonum est equidem signum, multo vero melius, si aeger quietus in somno est, vires colligit, easdemque recreari experitur, si somnus est interruptus, et praesertim, si, postquam evigilavit aeger, delirium imminutum esse deprehenditur, aliquando enim pessimo indicio delirium et debilitas in somno crescere observatur.

§. XI.

Aphonia et Taciturnitas merito etiam suspectae habetur, semper tamen pro letali signo habendae non est; interdum enim ex levioribus causis nascitur, a pituitae in faucibus collectione magna, linguae siccitate maxima, ut aegrum pigeat aliquid proferre. Interdum moralis quaedam causa subest, quando de testamento condendo, vel aliis ante ultimam horam disponendis aegri attentius cogitant.

§. XII.

Ut praedictio eo rectius instituatur, spectandum etiam in quibusdam morbis anni tempus,

quo hi oriuntur. Aestivi ad statum citius devenire solent; febres vernales breviores utplurimum, autumnales chronici magis, quae in rebelles quartanas crebrius transeunt.

§. XIII.

Prodest quoque, paroxysmorum et exacerbationum circuitus observare; si citius ii revertantur, si paroxysmus anticipet, ut loqui solemus, indicat plerumque, multum materiae peccantis in corpore latere et malum fore pertinacius. Vehementia et acuta mala citius ad terminum properant, si e. g. tertiana sit vehementior, calor in illa intensior, finiente paroxysmo sudor copiosior, citius vinci illas posse indicio est, quam si symptomatum levitate blandiuntur febres, et quando praesertim consuetam simul accessionis horam servant, nec anticipant nec postponunt, ut loquimur; id enim significat, materiam coagulatam, contumacem et viscidam esse, unde debilior quidem motus et ebullitio excitatur, longior autem pro curatione mora requiritur.

§. XIV.

Illud etiam hic observare oportet, in morbis minus periclitari illos, quorum naturae et aetati morbi sunt congeneres, quod Hipp. effatum egregie exponit Ludov. Duretus Enarrat. in Hipp. prognoses c. 14. §. 10.

§. XV.

Ad decubitum quoque aegri in lecto respicimus prognosin formaturi; quando enim aegri membra sua sustinere non possunt, caput ad genua

nua reflectunt, nullam formam servant, instar trunci artubus incurvatis in lecto jacent, praesertim aliis signis accedentibus, periculum denotat.

§. XVI.

Sicut in morbis calidis, in ardentibus febribus praesertim, juvenilem aetatem exercentibus, salutare signum esse potest haemorrhagia, ita e contrario in morbis frigidis, in hydrope, sanguinem copiose effundi, pessimum. Menses in mulieribus acuto morbo laborantibus prorumpere, quando tempus mensium non adest, morbum gravem et utplurimum malignum ostendit; stillicidium quoque sanguinis nihil boni prae se fert, quando paucae guttae per intervalla cadunt, quod fere unice in illo casu bonum esse potest, quando stillicidium tale futurae salutaris criseos prodromus est et indicium. Instantis autem narium haemorrhagiae, per quam crisis fit, indicia sunt: rubor faciei et oculorum, dolor capitis, pulsus fortior in temporibus, lachrymae involuntariae, caligo oculorum, difficilis respiratio, narium pruritus.

§. XVII.

Crisis autem vocabulum, in medicinam ex foro translatum, sumitur pro subitanea materiae morbificae in morbis acutis excretione, cum sensibili symptomatum remissione, a natura instituta. Explicuit crisium naturam et differentias Andr. Laurentius peculiari de crisibus libro, ubi, quae ex Astrologia huc trahuntur, vana esse, bene commonstrat, et astronomicarum rerum peritissimus Medicus Hieronymus Fracastorius, praeclaro de causis dierum criticorum libello, alieniſſima esse

et rejicienda ostendit, ubi inter alia in haec verba erumpit: *Medici mihi videntur rerum suarum sive muneris obliti, soli enim ipsi, cum viam facultatemque habere possent, inquirendi inveniendique rationem crisium, ab astrologis seducti persuasique, illorum opinionem secuti sunt. Quos cum omnes, tum praecipue Galenum mirari licet, qui alioquin tantus philosophus tam facile persuaderi potuerit, ut facultate propriae artis neglecta praestigiis alienae involvi passus sit.* Critica ergo signa sunt, quae mutationem illam in morbis et pugnam Naturae cum morbo imminentem praenunciant, ut modo exemplo narium haemorrhagiae illustravi. Eodem modo dies critici fuerint, in quos mutatio illa utplurimum incidit; chronicis autem morbis quoties a scriptoribus Medicis tribuitur crisis vocabulum, accipi debet de sensim facta morbi solutione, quae λύσις Galeno dicebatur.

§. XVIII.

Crisis alia est perfecta, quae integram dat sanitatem, alia imperfecta, quae hoc tantum praestat, ut aeger morbum melius ferat, materiae peccantis aliqua parte ejecta. Ad perfectam crisin requiruntur sequentia: 1. Ut praecesserint coctionis signa praesertim in urinis, et immaturo morbo non accidat. 2. Ut excretio sit satis copiosa. 3. Et ut nihil reliquiarum remaneat, quod recidivis causam suppeditet. 4. Ut crisi finita symptomata non perseverent. 5. Ut non tantum morbo sed etiam naturae aegri conveniens et apta sit.

§. XIX.

Per varia autem corporis loca crises contingunt, non tamen tantum per consuetas evacuationum

tionum vias, per Alvum, Urinam, Sudores, Uterum, Haemorrhoides, Narium haemorhagiam, Ptyalismum, sed non raro quoque per abscessus et tumores, interdum etiam per vias plane insuetas. Dicitur quoque crisis esse facta non tantum, quando e toto corpore extruditur, quod morbum gignit, sed etiam quando ex loco nobiliore, in quo haesit, ad partem ignobiliorem devolvitur, utut sic morbus alius, minus tamen periculi ferens, remaneat.

§. XX.

Inficiandum interim non est, non ita frequenter apud nos crises tales perfectas et regulares contingere, quales a Cl. Medicis describuntur, cum corpora hic solidiora, victu crassiore utentia, frequenter quoque scorbutica labe infecta, sanguinem minus turgescentem sed viscidiorem habeant, adeoque in hoc climate minus fervido ad subeundas criticas alterationes regulares minus apta sint. Unde (male tamen) saepe crisis negligitur, quando ipsi dies minus certi et stati sunt, cum et extra dies septenarios crises laudabiles eveniant. Ubi tamen monere oportet, prudenter illos agere, qui, ubi crisin molitur natura, libertatem aliquam ipsi relinquunt, quae enim critice in morbis eveniunt, facilius ab aegris sustinentur. Hinc mirum non est, illos, qui naturae robur intempestivis evacuantibus frangunt, judicationem, quam in aegrotantium salutem alias absolveret natura, interturbare et inde crisin sequi non posse. Bene judicat Valesius Comment. in Hipp. de victus ratione in acutis, ita scribens: *Facile intelliges, quod non pauci mirantur, et non intelligunt, cur, cum tanti*

fecerint antiqui Medici morborum judicationes ac de illis tam multa ſcripſerint, tam paucae criſes noſtra tempeſtate occurrant, certe, quia plerique intempeſtive purgantur, et intempeſtiva purgatio tollit tempeſtivas judicationes.

II.

Dr. RUDOLPH. AUGUSTIN. VOGEL.

Penſum I et II.

Gottingenſium praenotionum.

Gottingae, 1763. et 1765.

Praeloquium.

Perplacet omnibus ab *Hippocrate* haud dubie conſignatus Coacarum praenotionum libellus; et cur non ille placeat, cum aeternas ac conſtantes veritates complectatur, quas attentiſſimus Vir ex innumeris obſervationibus ſumma ſolertia elicuit, et quem adeo, quisquis benignitatem, malignitatem, criſes, metaſtaſes, exitumve morborum, non dicam omnium, ſed praecipuorum ſaltem, ac vulgatiſſimorum, ſalutarem et funeſtum praenoſſe velit, tanquam oraculum audacter adire queat. Non equidem omnia illinc veriſſima et ab omni mentis erro-

errore aliena dixerim, cum et Hippocrates homo fuerit, qui potuit errare; et quaedam etiam nimis vage dicta videantur; neque pauca loca non vitiosa sint, tantaque obscuritate premantur, ut vel acutissimi viri sensum eorundem percontari haud valeant. Sed erunt tamen inter 649 aphorismos, quibus libellus constat, vix centum, qui fallant, aut intelligi non possint; ut adeo, pretium auro longo carius ipsi statuendum esse, nihilominus putemus. Multoties certe me ille delectatus est, cum futurorum eventum me edoceret. Sed prima lectio non placet; sed postquam eandem pluries repetiverimus, atque etiam Prognosticorum et Praedictionum libros, maximo vero Epidemicorum legerimus; siquidem ex his inprimis praenotiones tanquam consectaria eruta esse videntur: ut credam, singulum aphorismum, una saltem, nisi pluribus historiis, quas Epidemicorum libri complectuntur, commode posse confirmari. Sed multo majus etiam oblectamentum inde hausi, cum vel ipsam rem in aegrotantibus ita evenire vel aliter deprehenderim, ac auctor eam proposuerat, vel cum ipsum illum obscure aut nimis laxe loquentem intelligere ex praesenti casu potuerim. Intelligere vero etiam in repetita lectione coepi, permultis praenotionibus augeri Hippocraticas illas posse, etiam de his morbis, quorum praevisiones Hippocrates exhibuit. Consilium igitur cepi, ejusmodi praenotiones, quas ex attenta morborum observatione elicere mihi licuit, neque vero apud alios auctores reperiuntur, data occasione cum bonis Medicis, qui artis nobilitatem augere verioribus prognosibus studeant, communicare, spe fretus, fore, ut vel istas ad

aegro-

aegrorum lectulos transferendo confirment, vel aliter determinent, aut ex toto etiam refellant: neutrum enim horum injucundum mihi fore polliceor, si módo ars divinatoria noſtra lucrum aliquod et augmentum inde reportet: neque refelli me ab aliis aegre patiar, cum ipſi Hippocrati, veritatis amore ductus, paſſim contradixerim. Ipſius dictionis brevitas, utpote Hippocraticae aemula, ipſique rei accommodatiſſima, haud, puto, diſplicebit.

Gottingenſium Praenotionum.

Penſum I.

1. Apoplexia cum repentino teneſmo fulguris inſtar ingruente invadens, letalis eſt; citra iſtum, ſpem ſolutionis facit.

2. Infantes lactentes, ſi ſugere non poſſunt, licet velint, moriuntur.

3. Infantes cibos in morbo non faſtidientes, neque tamen devorantes, ſed ore circumducentes et rurſus protrudentes, moriuntur tertio, quarto, vel quinto die.

4. Continuus dolor inter ſcapulas in febre maligna ſputa denunciat.

5. Urina rubra, in qua nihil ſubſidet, ſub declinatione in malignis, lente judicat, et fere cum ſputis; quibus tumor oedematoſus ſupervenit.

6. Hydrops ſcroti ſubito in febre ortus, altero vel tertio die mortem adfert.

7. Narium haemorrhagiae frequentes in adultis, cum frequenti horrore, appetitu proſtrato, varicibus ani, ac urina alba, periculoſae; utique

ſi

si pedes perpetuo frigeant. Tendinum in manibus subsultus, labii item agitatio, cum spiritus difficultate, mortem brevi fore significant. In hoc morbo stercora dura et globosa exeunt.

8. In morbo longo, si praeter consuetudinem tristes fiunt et ex leviſſimis causis lacrymantur, mortem non evadunt.

9. In longo morbo si spiritum difficulter ducere incipiunt et caput fricant, periculosum.

10. Narium haemorrhagiae et alvi fluxus inter primos septem dies in febre quotidiana remittente, septimo judicant.

11. Morbus hypochondriacus, quem vulgo dicunt, facilius superatur in juventute, quam in virili aetate.

12. Idem morbus in juventute victus, multo acerbior in virili aetate plerumque recrudescit.

13. Sapor salsus in ore ex febre acuta lente cessat, et non nisi sputo salso per tussim demum exsolvitur.

14. Oedema pedum ex acuto morbo ad novum insultum febrilem cum vomitionibus et alvi fluxu subito dispellitur.

15. Furunculus in bucca febrem quartanam solvit.

16. Tumores cystici majores, plurium librarum, nunquam tuto exstirpantur.

17. In acutis vomitus spontaneus sub vigorem absolutione judicat.

18. In febribus malignis crises dantur aliquando aeque perfectae, ac in benignis.

19. Hydrops interdum diarrhoea solvitur; at pluries ea symptomatica est ac pernicioſa: tumque

que tumor non imminuitur, et diarrhoeam lienteria excipit, brevi letalis.

20. Quibus a pectoris oppressione sanguis e pulmone extunditur, his cessante oppressione tubercula prurientia in extremis erumpunt.

21. Quibus musculi faciei leviter agitantur, iis sanguinis e naribus eruptionem fore spes est. Quibusdam una manus tremunt.

22. Febres malignae epidemicae fere in intermittentes tertianas et quotidianas transeunt.

23. Infantes ultro mammam aversantes, citra tetanum maxillae, ad tabem proni sunt.

24. In peripneumonia tubercula die quarto in labiis efflorescentia solutionem portendunt.

25. Floccos legere in acutis, non semper letale; at oculum claudi, letale est.

26. Oculi si habitum suum naturalem in morbis conservant, mors non metuenda est; etiamsi alia pessima quaevis symptomata adfuerint.

27. Dolentibus lumbis si ventriculi dolor accesserit, aut vomitus quoque, futurae per haemorrhoides vacuationis signum est.

28. Dolores, morbo laterali finito, interdum supersunt; hosque sudores demum solvunt.

29. Candicans alvi excrementum in variolis exitiale est.

30. Copiosa flatuum eruptio in febre nullam bonam judicationem denunciat.

31. Multum sanguinem in febre ex alvo effluere, non semper lethale est.

32. Quibus sanguis in partu effluit, his secundae celerrime exsolvuntur.

33. Foeminae arthrithicis molestiis subinde maceratae, haemorrhagiis uteri patent, etiamsi vetulae.

34. In

34. In rheumatismo acuto copiosi sudores non judicant, nisi pustulae vel papulae efflorescant.

35. Paronychiae, epidemicae si fuerint, maligne habere judicantur, et ossa inficiunt.

36. Quibus pituita vitrea in faucibus colligitur, iis alvi male afficiuntur.

37. In tertiana febre intermittente novum insultum exspectes, quoties die integro urina cruda conspicitur.

38. Infantes, quibus ex cerebri commotione convulsiones accedunt, moriuntur.

39. In cachexia hydropica suffocationes nocturnae perniciem afferunt.

Gottingensium Praenotionum

Pensum II.

40. Haemorrhagia narium interdum haereditaria est, neque tum adultos et in virili aetate constitutos immunes relinquit.

41. Ructus boans diuturnum et rebelle malum est, rarioribusque simul affectionibus adnumerandum.

42. Purgantia in pleuritide et peripneumonia sub decursu ejus data valde prosunt, et justo tempore, critico quodam die, sumta multo plus, quam alio educunt.

43. Epidemias acutarum febrium excipiunt plerumque catarrhi et intermittentes febres: quorum itaque accessio ipsarum finem praenunciat.

44. Salivatio aliquot dierum pleuriticos perfecte judicat.

45. In

45. In phthisi pulmonali raucitas accedens mortem denunciat.

46. Tenesmus inopinanter saepeque pueros invadens certissimum signum vermium habetur.

47. Infantes saepius tabe letali sine hectica febre quam adulti laborant.

48. In vetusto et praetumido dolenteque ani varice ab externis remediis nullum auxilium expectato. Solus culter in manu istum curat: neque tum periculum aliquod a profluvio cruoris imminet, utpote qui tantopere condensatus, ut vix pressione adhibita effluat. Nisi vero hunc aperueris, exulcerationem et fistulam ani demum timeto.

49. Mercurialia medicamenta respuit Taenia. Certius eam educunt simplicissimi clysteres ex sale communi et chamaemelo, per aliquot hebdomades bis die injecti.

50. Recursum haemorrhagiae uteri capitis gravitas, subitus artuum dolor, ventris murmura, et stranguria denunciant.

51. Exanthemata miliaria et petechialia sub assiduo acidorum usu non minus, quam bezoardicorum, erumpunt.

52. Defectus caloris cum parvo pulsu continens in hydrope mortem significat.

53. Anasarca ex pulmonum vitio cum ingenti spirandi, maxime per noctem, difficultate letale est.

54. Lumborum dolor, qui remediis non cedit, in hydropem aliquem ventris desinit.

55. Ubi residere vult aeger, malum quidem indicium in acutis morbis, sed longe pessimum in lateris et pulmonum affectibus.

56. In-

56. Inflammatoriis morbis solemne est, quod recurrant, maxime anginae, pleuritidi, ophthalmiae, inflammationi intestinorum, ac erysipelati.

57. Vomitus periodicus cum fastidio cibi futuras haemorrhoides praenunciat.

58. Ischias longum ex inquilinis causis facile in tabem transit.

59. Tussis sicca pertinax ex ischiate phthisin pulmonum facit.

60. Imi ventris tensiones et dolores ex ischiate abscessum futurum illinc praesignificant.

61. Ex urina spumosa saepe tussis imminet.

62. Quibus in quotidianis continuis febribus sudores copiosi constanter fere emanant, in illis nulla fere fit per urinam judicatio.

63. Dolores ad crura per metastasin facti in acutis febribus sponte paullatim finiuntur.

64. Erysipelas crurum et abscessus in dorso lithiasin renum et vesicae ad tempus solvunt.

65. Suppuratorii cutis abscessus melancholiam non semper solvunt, sed duntaxat leniunt.

66. Tenesmus hydropi superveniens mortis praenuncius. Idemque etiam in aliis longis morbis obtingit.

67. Sopor in chronicis morbis tertio vel ad summum septimo die futuram mortem significat.

68. Subita revulsio linguae in phthisi lethum denunciat.

69. Herniae scrotales in juvenibus nonnunquam clanculum se subducunt.

70. In pluribus morbis, quam febrilibus, veluti diarrhoeis, dysenteria, ictero, melancholia, mania, crisis per urinam contingit.

71. In febre intermittente quotidiana urina sedimentum album educit.

72. In febre acuta, ubi nulli sudores, nulla etiam exanthemata unquam efflorescunt.

73. Delitia anxia, sudores effusi, urina turbata, in acutis pessima exanthemata praesagiunt.

74. Urina turbata in diebus primis acutarum summam malignitatem prodit, et plerumque etiam lethalitatem.

75. Eadem urina tum quoque haemorrhagiae narium symptomaticae subinde index est.

76. Ubi urina in ictero lateritium sedimentum demittit, difficilis morbus est.

77. Floccorum lectio in acutis lethalitatis ambiguum admodum signum est.

78. Haemorrhagiae in acutis nunquam eos solvunt, nisi diebus criticis inciderint. Idque pariter de sudoribus valet.

79. Convulsiones musculorum faciei in acutis verissimum sunt mortis signum, nisi parotis extollatur vel et pus ex auribus effluat.

80. Bilis nigra ex alvo infantum atrophicorum erumpens lethum portendit.

81. In dysenteria, ubi purus cruor aut quasi nigra quaedam ex alvo exprimuntur, nulla salutis spes supereſt.

82. Hectica in dysenteria summe acuta est, et brevi temporis spatio mortem adfert.

83. Dorsi dolor, qui remediis non cedit, in hydropem pectoris desinit.

84. Quibus in hydrope ex pedibus tumidis serum aquae instar gelidum exsudat, ii brevi moriuntur.

85. Fis-

85. Fissurae pedum oedematosorum hydropem non semper tollunt.

86. Tinea levat insaniam.

87. Ubi lac in puerperis acuto morbo afflictis subito cessat, lethiferum.

III.

Dr. CHRISTOPH. GUILIELM. DE BERGER.

Commentar. medicus.

De praesagiis ex algore in febribus acutis.

Goetting. 1750.

De Praesagio ex Algore in Acutis.

§. I.

Aestimando acutarum decursui febrium symptoma non leviſſimum *a*) algor est, sensus ille deficientis in corpore caloris, qui per incolumitatem esse debuisset. Atque is veterum in libris, quo-

E 2

a) Praecipit HIPPOCRATES cum attendenda alia in acutis, tum maxime *frigus et rigorem*, Epid. 1, 3.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0075
DFG

quorum PLINIUS *b*) iure admiratur *observationem ingeniosissimam*, studiosissimam diceres contemplandorum similium, in tres fere gradus, vehementiae quasi partes, descriptus distributusque legitur, *algorem strictius dictum*, *horrorem*, *rigorem*. *Algor*, Graecis medicis ψύχος, ψύξις, et, omne si corpus obierit, περίψυξις *c*), frigoris quaedam saltem perceptio est, sine artuum corporisve agitatione. *Horror*, φρίκη, summa corporis non perstringens tantum, sed concutiens, inque agitationem lacessens frigus. *Rigor* denique, ῥῖγος, *d*) cum egelida contremiscunt et subsultant membra, quin ipsa corporis profunda gelu

b) *Hist. nat. L. 18. c. 29.*

c) περιψύχεσθαι in Hippocraticis persaepe non *perfrigescere* tantum, sed et vel *intermittere* vel *remittere* febrem designat. Sic *Epid. VII.* Μετὰ νύνα οἱ πυρετοὶ ἱδρώδεες, καὶ ἐ περιεψύχοντο παντάπασι μετὰ τὸν ἱδρῶτα, πάλιν δ' ἐπεθέρμαινον. Ipsa res docet, reddendum hic fuisse, secus ac vulgaris versio habet, *non intermittebant omnino a sudore, sed rursus percalefaciebant*, id est, *ingrauescebant*. Sic *Prorrhet. I. 1.* τὰ ἐγκαταλιμπανόμενα κάυματα ἐν ὑποχονδρίῳ, πυρετῷ περιψυχθέντος, κακόν. Hic vertendum fuisset: Mali ardores in praecordiis vel hypochondriis superstites, febre *remittente*. Phreniticorum id esse, alibi docet.

d) CELSUS *L. 2. c. 7.* convulsionem, sigillatimque tetanum, rigorem vocat, sequente multos inter LOMMIO. Auctor versionis ARETAEI, tetanum ARETAEI, et nonnullorum HIPPOCRATIS locorum, id est spasmum musculorum maxillae leuatorum, vocat rigorem, *Acutor. I. 6.* Graecos vicissim pro tetano vel convulsione ῥῖγος dixisse, non reperies. Rectius AEGINETAE metaphrastes TORINUS, II. 34, ῥῖγος reddidit algorem cum tremore, ex mente GALENI, *de sympt. caus. I, 8.*

lu varium pertentat. Hippocratica volumina *horrorem* ajunt *esse debillimum rigorem*, *et*, *si quidem vehementior hic fuerit*, *vehementiorem esse tremorem* e). *Rigores incipere mulieribus a lumbis potissimum*, *procedere per dorsum ad caput; sed et viris posteriore magis parte*, *quam anteriore. Horrere nos magis exterioribus corporis partibus*, *ut cubitis*, *femoribusve*, *quam interioribus: sin et aliunde* f) *rigor fuerit*, *ut ab ulceribus*, *illum ab interioribus* g) *ordiri. Rigorem ab inferiore ventre*, *febrem*, *id est*, *aestum*, *a superiori potius procedere* h). CELSO i), rigorem horroris voce complexo, hic ipse quidem est, ubi totum corpus intremit: frigus, ubi extremae membrorum partes inalgescunt. Copiosior, ut solet, pro Asiatico orationis genere, in discernendis et his GALE-

e) *De morbis I. 22. Lind.* Algor a rigore liquido discernitur, cum aliis locis, tum *Coacar. III. 34. 60.*

f) *Epid. VI. 3.* De rigore ex ulceribus, id est, inflammationem novam, coniuncta febre, cuius initium rigor ille facit, concipientibus, conf. GALENUS, *II. de sympt. caus. 5.* et AETIUS, *Lib. IV. c. 39. 36.*

g) Huic loco *Epid. VI. 3.* in exemplari quodam operum Hippocr. editionis Iuntinae, *Venet. 1588.* adscriptum vidi, manu, ut opinor, HENNINGI ARNISAEI, cujus fuisse exemplar, nomen frontispicio simili ductu adscriptum docebat: pro τῶν ἀγγείων *substitue* τῶν ἔνδον. Nullus dubitavi, quin doctissimam conjecturam, quae et abs re non est, praesertim si et praegressa et experientiam consulas, et loco obscuro lucem reddit, hic inprimis sequerer.

h) *Epid. VI. 5.* Ceterum hic notandum, vocem πυρετὸς saepissime Hippocrati non *decursum febris omnem*, sed exacerbationem, vel insultum, quin aestum saltem, ut hic loci, denotare. Supersedeo adducendis multis exemplis.

i) *De med. L. III. 3.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0077
DFG

LENUS *k*), *cum aliquis*, inquit, *nulla concussione corporis et agitatione perfrigescit, non hic riget. At, si affectus rigor appellandus est, inaequalem et praeter voluntatem motum accedere oportet l). Quod si ne hoc accidit, si ne cutem quidem inaequaliter commovet, perfrictionem nominant. Sin autem hanc quidem per quosdam insultus quatiat, corpus autem totum non commoveat, horrorem appellant: ut hic cutis solius talis affectus sit, qualis totius corporis, rigor.*

§. II.

A nominum definitione non aequa facilitate ad ipsarum pervestigationem rerum proceditur. Qui vel a sphaerularum sanguinis imminuto conflictu, praesertim in ultimis vasorum angiportibus, vel ab anima moderatrice, similibusve causis, repetitum origines abeunt: nae veniam dederint, si, in societatem venire sententiarum, et iniqua nimium littora premere, minus e re videbitur. Nam ut quisque videri sibi potest quam rectissime monuisse: ita veritatis cupidum multo quam dudum incertiorem dimittit; cum nihil horum sit, cui prius quam credas, multa postulare queas expedienda. Duo sunt in symptomatibus his contemplatione dignissima, alterum frigus non ipsi tantum aegro, sed aliis etiam percipiendum, alterum coniuncta illa sub rigore et horrore agitatio. Ingeniose de frigore disputat GA-

k) L. de tremore, palpitatione, convulsione et rigore, c. 6. et de sympt. causis II. 5.

l) L. c. de tremore: Rigor est algor dolorificus, cum quadam inaequali corporis concussione, et agitatione.

GALENUS *m*), atque algorum instar, externa de causa oriundorum, gigni negat, internisque, neque satis perspectis tribuit causis, ac merito sub ipso frigore et sitim, et aestus per intima corporis medio interdum rigore sensum, tum horrorem ex labore et lassitudine, ex apricatione, ex descensu denique in thermas, admiratur: quibus alia inter merito addimus dolorem verticis occipitisve frigidum in hystericis, et imminente vel paralysi vel convulsione, gelidiusculae quasi ascensum quendam aurae per artuum interiora, probe ab ARETAEO *n*) notatum. Perceptiones quasdam heteroclitas praeter naturam dari, carentes *impressa* foris, quam vocant, *specie*, crebris experientiae studiosioris testimoniis, neque adeo abs re diceres, hisque accensendum algorem illum, sive frigoris sensum; ut *phreniticos, quae non adsunt, tanquam praesentia videre, et aliis non conspicua illorum se oculis exhibere*, praeclare dixit ARETAEUS *o*); ut aures tinniunt, sonumve concipiunt redduntque, tum sine causa externa vel recte valentibus, tum si per febres acutas graviora deliria instant. At iste algor non semper heteroclitus degenerve quasi sensus est, quum, calorem omnino minui, ipsa thermometra evincant, paulo post in aestum vicissim exasperandum. Estque ille algor modo corporis universi, modo membri saltem cujusdam. Agitationes autem, horrori rigorique coniunctae, spasmodes quid liquido evincunt, ut opinor. Sed perdifficile dictu

 est,

m) *Lib. de tremore, palpitatione etc. c. 5. et de sympt. causis II. 5.*

n) *De caus. et sign. diuturnor. 17.*

o) *L. c. I. 6.*

eſt, tum unde frigoris heteroclitus ſenſus, tum unde frigoris ipſius verae origines ſint repetendae: utque conjecturis abundamus, ſic demonſtrationum penuria premimur. Neque legibus carere ſuis illa caloris decrementa videntur, cum a parvis obortus initiis algor, ſive aequabiliter proceſſerit, ſive per intervalla, ut in horroribus, affecerit, limitem quendam vehementiae aſſecutus, rurſus in aeſtum decreſcat, adeoque maximum quoddam minimumve geometricum et ipſe arguat. Neque propoſitum eſt, neque auſim, pelagus experiri utrumque, tum cauſarum frigoris, tum agitationum, quod excelſa tot ingenia fatigavit. Latent etiamnum in puteo Democriti multa, etſi quaedam de calore animalium attigerit, ratiocinia potius quam experimenta ſecutus Cl. MARTINIUS *p*). Pauca nimis, neque niſi communia, de admirabili illa vi, ejusque legibus dici poſſunt, quae nervos fibrasque motrices animat, ſejunctisque forſan, quin contrariis eodem nervo itineribus, et ſenſum et motum tribuit moderaturque, cum utraque ſimul fieri poſſe videamus: inque motu, ſecus ac vires vulgo dictae mechanicae, ingenti robore perexiguum tempus penſat, neque in ſtatu praeter naturam perturbate agit, ex vulgari ſententia, ſed alio ſaltem ordine, aliisque admixtis rationibus. Iure ſuo, nil alia ſentientibus largituro, vires mechanicae ab animalibus diſcernuntur cum LEIBNITIO *q*), qui *phyſicas* vocat has ipſas, *non quod ſuapte natura mechanicae non ſint, ſed quod mechaniſmus legesque late-*

p) Lib. de ſimilibus animalibus et animalium calore.

q) *Epiſtola ad Michelottum, lib. hujus de ſeparatione fluidorum, p. 257.*

lateant. Ceterum, si attendamus tum ad dolorem istum capitis, dorsive et lumborum, tensionis cujusdam imaginem exhibentem, qui per initia horroris rigorisque febrilis esse solet, horumque ex dorso fere progressum, ut supra praeeunte HIPPOCRATE dictum, tum ad haesitantem illo tempore cum tussicula et respirationis quadam molestia in arteria pulmonali sanguinem, quae HARVEII *r*) iamdudum observatio est: tum denique ad incertas istas sub omni algore febrili pulsus arteriarum rationes, qui alias tardescit, alias celerrimus debillimusque redditur, alias intermittit, praeclare observante *Ill.* WERLHOFIO *s*), *Patrono pie colendo*: locus aliquis erit conjecturae non omnino forsan inani, omnium primis cerebri et medullae spinalis iis provinciis, quae nervo sympathico magno et medio praebent origines, aliquid praeter naturam contingere, qualecunque tandem illud sit; indeque pulmones et cor sic protinus affici, ut interceptus fistulis arteriae pulmonalis plusculum forsan constrictis, sanguis, caloris quaedam dispendia patiatur, dumque cor dextrum praeter modum onerat rediens nec libere trajiciens; causam perturbato eius motui addat, ad destinatum quendam limitem usque. Sed propius ad propositum accedo, atque ad ipsa ex algore febrili praesagia, maxime HIPPOCRATEM secutus:

medium nam tempus utrumque
HUNC *habet, atque humeris extantem suspicit altis t*).

r) *L. de motu cordis et sang. in anim. c. 14.*
s) *Observationum de febr. p. 35.*
t) VIRGIL. *Aeneid. 6.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0081
DFG

Neque vero est, ut obiicias, nostro coelo praesagia illa minus convenire: cum satis experientia doceat, qualecunque coeli discrimen fuerit, ut ipsius HIPPOCRATIS *u*) verbis utar, *eadem signa et in Libya, et Delo, ac Scythia vera esse*: quin difficiliora et forte aliquando corrupta divini senis pronunciata, secius e Criticorum adversariis, at maxime decumbentium e lectulis et illustranda et corrigenda esse.

§. III.

Ut igitur de algoribus per febrem acutam incidentibus recte statui queat, et suis Hippocratica praesagia temporibus locisque vindicari: arcessendum ex elementis, et praestitutum praemissumque cupiendum est, febres acutas omnes et singulas nostri coeli nunquam esse *synochas* sive *continentes*, quod discrimen primo omnium debetur GALENO *x*), sed continuas remittentes. Harum esse quotidianas periodos, id est, exacerbationum remissionumque vices, ejus persaepe legis, ut pares imparesve dies liquido sibi respondeant: easque periodos plerumque simplices, interdum compositas observari, ut plures una, rarius plures duabus quotidie sint exacerbationes; ceterum easdem ipsas periodos frequentissime sequi ordinem quendam, id est typum habere *y*); erraticas autem, sive typo carentes febres rariores vulgari sententia deprehendi, si studiosius attenten-

u) *Prognost.* 27. *Lind.*

x) *De differentiis febr. L. I. et II.*

y) Auctor *Libri de typis* inter Galenicos reperiundi, *typum* eleganter vocat *ordinem intensionum et remissionum, sive periodorum*, c. 2.

tendamus. Typos febrium acutarum, ad vigorem usque, eiusmodi fere esse consueviſse, ut citius citiusque z) exacerbationes accedant, προληπτικὰς GALENUS a) recte vocat. Eo acutiorem fore febrem, quo majoribus intervallis spatiisve sequioris exacerbationis initium antecedit superatque initium proxime praegressae. Inde a vigore per omnem declinationem exacerbationes reddi ὑστερικὰς, *tardantes*, dum omnino evanuerint. Omnium acutarum febrium alias esse quidem acutissimas, alias peracutas, alias acutas stricto sensu, alias acutas ex decidentia quas vocant, finem mensis, limitem febris acutae ultimum, affecutas: praeclare tamen ab HIPPOCRATE, experientiae dictamine, pronunciatum esse, febres acutas quatuordecim circiter diebus finiri b); quod quidem ad peracutas, multo frequentissimas, maxime pertinet. Quae ad finem mensis perveniunt, eas plerumque non unius, sed acutarum duarum decursus habendas: quae vero mensem excedunt, aut longarum censui transscribendas, aut plurium acutarum syrma quoddam esse. Omnium denique acutarum decursus recte veteres partitos in

z) Praeclare CELSUS *L.* 3. c. 2. *Increscit morbus, dum graviores dolores accessionesque veniunt, haeque ante, quam proximae revertuntur, et postea desinunt.* Quae haussisse videtur ex Hippocrate, Epid. II. 1. *Circa principia morborum considerandum, an statim floreant. Id vero perspicuum ex incrementa: incrementa ex periodis. Et crises indidem manifestae, itemque ex periodorum exacerbationibus, citiusne accesserint, an non: diutiusne duraverint, an non; gravinsne afflixerint, an non.*

a) *Sive auctor Libri de typis*, c. 3.

b) *Aph. S. II. 32.* acutis generatim morbis, *Coacar. I. 190.* febribus ardentibus hunc circiter limitem tribuit.

in initium, incrementum, vigorem; qui vel mortem affert, vel alium morbum, vel declinationem. Criſes *c*) a vigore ſummo ordiri, aliasque perfectas eſſe, non uno die, unoque impetu, male intellecto vulgo HIPPOCRATE, circumſcribendas, ſed ipſam declinationem veram efficientes *d*): alias imperfectas, alio quodam pediſſequo morbo. Ceterum ad ſingulas febrium acutarum claſſes ſpeciesque in ipſo limine expediendas non deſcendo.

§. IV.

Quisquis invadit algor, internis obortus cauſis *e*), non temere incidiſſe cenſendus, ſed gravem quandam ſubituram rerum in corpore commutationem, maxime aeſtum febrilem. Praecla-

c) Eleganter HIPP. *Praecept.* 12. Criſis eſt morbi exſolutio. Et *de affectionibus* 7. Criſis in morbis eſt, cum hi aut augeſcunt, aut in alium morbum tranſeunt, aut deſinunt.

d) Quiquid de criſibus vulgo ſtatuatur, illud experientia doeet, omnes HIPPOCRATI memoratas criſium, non uno loco, ſpecies, et frigidiori, noſtroque convenire coelo: nullibi unius diei critici, criſeosque uno impetu abſolvendae mentionem ab HIPPOCRATE factam; criſes adeo partitim per omnem declinationem fieri, cumque ipſa declinatione decreſcere: denique eſſe criticos dies, quot ſunt declinationis. Inde metaſyncriticus victus Methodicis genuino ſenſu erat, qui poſt declinationem debebatur convaleſcentibus, ne decurrentes ſub declinatione criſes perturbarentur.

e) Sic, nimium frigidae uſum aquae, ſive externum varium, veteribus non uno modo frequentem, ſive potum, rigores febriles producere, HIPP. monet *Aph.* 5. 20.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0084
DFG

clare HIPPOCRATES *f*): *post rigorem*, inquit, *necesse febris corripiat, aut major aut minor.* Et alio loco *g*): *Si rigor invaserit, febrilis ignis consequitur.* Atque alio *h*): *nonne, quibus rigor oboritur, acutissima febris emicat?* Pedum frigus exacerbationis imminentis signum esse, alibi pronunciat *i*). Frequentissimum inde πολυῤῥύητον in libris, illi vulgo attributis, praesertim Epidemiis: ἐῤῥίγωσε, πυρετὸς πολύς. Sive autem vox illa πυρετὸς designet illam saltem exacerbationis febrilis partem, quae aestu describitur, quod familiare esse libris Hippocraticis supra attigi *k*), sive omnem febris decursum complectatur: illud sane confirmat experientia, omnem omnino algorem ejusmodi, febris pediseequae antesignanum esse. Quin si generatim decursui febris acutae, tum inter alia diuturnioris morbi indicia, maxime sudorem dorsi cervicisque particularem, sine malis signis, faciem neque valde neque ocyus mutatam, modoque pallescentem modo rubescentem vicissim, febremque non magnam, tum citra consuetum exacerbationum ordinem, is addiderit sese algor: novae acutae exordium est, succedentis pristinae mutato typo, index adeo morbi longioris, et plerumque febrium plurium acutarum, mutuo sese excipientium. Ex multis ejus rei in libris epidemiorum exemplis, commemoranda sunt duo puer-

f) *De morbis I. 22.* Μετὰ τὸ ῥίγος ἀνάγκη πυρετὸν ἐπιλαβεῖν, ἢ πλέω, ἢ ἐλάσσω.

g) *De morb. I. 4.* ῥῖγος εἰ λάβῃ, πῦρ ἐπιλαμβάνει.

h) *De veteri med. 29.* Οὐχ', ὅισιν ἂν ῥῖγος γένηται, τετέοισιν ὀξύτατος ὁ πυρετὸς ἐκλάμπει;

i) *De victu in acutis, 42. Epid. III. 3: 59.*

k) *Annotat. 8.*

puerperarum. Altera *l*), quae rigebat die octavo, rursus decimo quarto, iterum vicesimo, syrma quoddam febrium acutarum perpessa, die tandem octogesimo convaluit: altera consimili exhausta succedentium acutarum vicissitudine, eodem die animam posuit. Atque sic intelligendum illud: *Quibus sexta die rigores contingunt, difficilis crisis est l*). Incidit enim ille circiter dies aut in incrementum aut in vigorem febris acutae, pro hujus vario acumine: Eo die rigor, respondentibus aliis signis, febris novae portendit initium, morbum adeo acutae simplicis limites egressurum tardante crisi. Eodem referendum est istud *m*): *Si corpus perfrigescat, et rursus calefiat, et color ex alio in alium transmutetur, morbi diuturnitas praesagitur.* Sed propositum est, penitius scrutari hos algores, utque in tempora quaelibet incidunt febrium acutarum, ex vario harum acumine subacto judicio aestimanda: ita diversa ex illis praesagia duce HIPPOCRATE contemplari. Sunt nonnulla, quorum reddi ratio possit: sunt vicissim plurima, quorum causae sublimioribus latent adytis, consultius habenda experimentorum loco numeroque, sive phaenomenorum, quae vocant, quam ingenio luxurianti tentanda: minime omnium despectui habenda. Opportune GALENUS *n*): *Satius est, si quid inventu difficile est, non protinus evertere rem evidenter apparentem, sed causae ignorantiam fateri.*

§. V.

l) *Coacar. l. 22.* et *Aph. 4. 29.*

m) *De crisib. 8.* Memorabile exemplum est *Epid. III. 3. aegroti 1. Conf. Epid. I. 2.*

n) *Lib. de tremore, c. 7.*

§. V.

Initia febrium acutarum omnium, et speciatim primae accessionis, algore quodam fieri, notissimum est. Is vero algor, ut sequentes exacerbationes in febre vere continua acutaque minime antecedit, raro alteram, secus ac intermittentibus in febribus *o)*: ita et ipse varius est, perque febris decursum non redit, quin periculi quid portendat, exceptis febribus catarrhalibus ordinariis, in quibus et ipsis non semper contemnendus, cum addentis sese febris, praesertim pectoris, inflammatoriae, index esse queat: unde toties phthiseos ex catarrhis mentio, quae non his, sed pleuropneumoniae, vel peripneumoniae pleuritidive symptomaticae debebatur. Ex febribus inflammatoriis cum vehementi rigore invadere solent rheumatismus acutus, dysenteria acuta, angina vera, peripneumonia vera, notha ista multo rarior, pleuropneumonia, pleuritis vera; et hac ineunte vel ad dentium stridorem perveniri, luculenter ab HIPPOCRATE notatum est *p)*. Vicissim febres erysipelatodes, peripneumoniam notham, inflammationes intestinorum, imique fere ventris viscerum, febres catarrhales ordinarias, phrenitidum omnem cohortem, cui quin accenseam febres hodie vulgo dictas catarrhales ma-

o) Inde AETIUS *L. 5. c. 77.* discernere continuas ab intermittentibus docet, ὡς ἔστε ῥῖγος προηγοίσοιτο τῶν παροξυσμῶν, ἔθ' ἱδρὼς ἕψοιτο. Et paulo superius, διὰ τὸ μὴ μετὰ ῥίγες εἰσβάλλειν, μήτ' εἰς ἀπυρεξίαν ἀποπάυεσθαι.

p) *De morbis II. 42.*

malignas q), tum simplices tum exanthematicas, non dubito, cum vario saltem horrore impetere, producto interdum in ipsum subeuntem aestum exacerbationis primae, experientiae studiosioris fide constabit, et memorabile est. Eadem est fere ratio febrium malignarum plurimarum, cum simplicium tum exanthematicarum, nisi quod, pestilentiam veram cum gravi rigore interdum invasisse, a dignissimis fide proditum sit. Ex febribus exanthematicis variolae plerumque incursant cum horrore potius quam rigore, neque dispar est conditio febris scarlatinae, urticatae, morbillorum nothorum, quos eodem loco cum rosaliis INGRASSIAE habendos crediderim, interdum et purpurae proprie dictae, sive rubrae. Sed alias ejusdem purpurae, at maxime vulgo dictae albae, sive febris miliaris HAMILTONI, itemque morbillorum verorum initia fieri ex rigore, compertum est. Acutas denique ordinarias frequentius cum algore saltem quodam, horroribusve, quam rigore invadere, nisi ab indole inflammatoriarum propius absint, usus docet. Quae ex omnibus, quas appellavi, febribus acutis, aut alterius acutae, aut longae, aut morbi longi symptomatica futura est, ea plerumque quo incipit modo, si primaria est, et tum ordi-

q) Nomen a Barbettianis circiter inde temporibus productum. Priscorum excussis monumentis, in coniecturam venies nomini a catarrhis petendo ansam dedisse horrores, illacrimationes invitas spontaneasque, nasum serosis stillantem, et alia mala hujus generis omnia, HIPPOCRATI memorata; ceterum has febres verissimas esse phrenitides, et, si typi per incrementa ad vigorem usque rationem habueris, non differre a semitertianis veris veterum quotundam.

orditur. Dubitare licebit, an expositum dari queat, cur harum febrium omnium aliis ex rigore principium sit, aliis ex horroribus, algoreve saltem quodam, sive totius corporis, sive partium quarundam, maxime dorsi manuumque ac pedum; quaeque sit justa cujusvis exordii causa, aut in specie morbi delitescens, aut in ipso corpore. Expendenti tot causas, afferri vulgo solitas, intemerata asserentium auctoritate, non potest non succurrere, quod de physica CARTESIANA pronunciasse accepimus PASCHALIUM, datam esse pro naturae contemplatione de natura fabulam, populo quae placeret. Neque satisfacient stimuli sanguinis inflammatorii, vasorum ultimum angustias vix eluctantis. Nam illud exploratum est, docetque vel sanguis vena secta missus, non omnem statim illum, quasi per fulminis afflatum nictuque oculi citius, fieri inflammatorium, sed glebas primo saltem quasdam, aut coacti jam, aut facilius quam per incolumitatem conveniebat, cogendi seri, in sanguine concipi, et forsan omnium primo in venarum systemate, illatas ex primis viis, plerumque jam clanculum laborantibus, neque edulia, praesertim carnes et quicquid ex his paratum est, satis mutantibus: indeque reliquum paulatim sanguinem vitiari, tum eodem ex fonte, tum maxime accedente febre, serum sanguinis gelatinosum inque coagula jam multo pronius magis magisque compingente. Perpetuum pleuritidis initium rigor est, jussitque dudum HIPPOCRATES, si quando successerit abscessus, id computandum ab illo tempore, *quo primum quis riguerit* r): at saepe vel ex hyper-

r) *Coacar. III. 202. Prognost. 16.*

perboreo rigore orsa, aut nulla offert inflammatorii sanguinis indicia, aut non uno exceptus vase sanguis altero inflammatorius est, altero minus. Viciſſim detractus febre ſecunda variolarum ſanguis, urgente pleuritide vel peripneumonia ſymptomatica, non ſane tabo diffluit reſorpto, ſed eſt, qualis vulgo pleuriticorum; etſi aut nullus, aut levis algor rigorve ante exacerbationem quandam ejus temporis obſervetur. Ipſae febres catarrhales ordinariae, inter fugitivos ſaltem horrores, ſanguinem interdum quam maxime inflammatorium exhibent, eaque de cauſa febres pectoris inflammatorias et comites et pediſſequas frequenter habent.

§. VI.

Quae vero acutae cum rigore impetunt, ſi vel poſt rigorem, vel ſub ipſo aeſtu ſuccedente, vel declinante exacerbatione, aut alii rigores ſeſe addiderint, aut horrores algoresve, maxime, ſi eadem et cum ſecunda, quin pluribus contingant exacerbationibus: mali ominis illud eſt, utque reliqua ſigna reſpondent, ita febris aut praecipiti tramite in mortem ruiturae, aut per plurium acutarum conſecutiones chronicumve obrepentem deinde morbum confecturae. *Ardentes in Thaſo febres* s) *ſtatim per initia portendebant, quibus pernicies immineret. Namque mox initio febris acuta erat, parumque rigebant poſtea,* ἐπεῤῥίγεν σμικρὰ, ſub ipſo ſcilicet primae aeſtu acceſſionis, vel illo declinante. Vocem πυρετὸς frequentius deſignare HIPPOCRATI aeſtum febrilem exacerbationemve, quam omnem decurſum, ſupra ſubmonui. *Puerpe-*

s) *Epidemiorum I. 2.*

erperae t), *poſtquam riguiſſet*, *febres erant acutae et horridae*, exacerbationes quippe diſtinctae horroribus: exhauſta compluribus ſuccedentibus acutis, die octogeſimo exſpirauit. Cui *u)* febris acuta ex magno rigore coeperat, poſtridie circa meridiem, et procul dubio ante imminentem exacerbationem, itemque tertia, quartaque die incidente frigore circa caput, manus et pedes, mortuus eſt decima. Referenda huc iſta ῥίγεα καυματώδεα *x)*, *aeſtuoſi rigores*, diſtincti emicante et ſubito diſparente aeſtu; aut, ſi exteriora algeant, interiora autem aeſtuent cum ſiti *y)*, adeo ſuſpectum HIPPOCRATI ſignum, ut ὑπολέθριον dicat, non carens exitii metu: maxime quidem, ſi *flammea ſimul facies et ſudor* fuerint. At iſta omnia imminente purpura ſymptomatica, praeſertim in puerperis, et potiſſimum febre miliari, vel obiter attendenti occurrunt. *Ex rigore perfrigeria*, *mala* generatim pronunciat *z)*. Peſſimum eſt, fereque lethale, ſi rigores algoresve anteceſſerint aut omnes aut plurimas, alternasve, ſemitertianae verae inſtar, per acutae decurſum exacerbationes; quin praeterea his mediis declinantibusve inciderint. Mulier, ex partu febriens difficili *a)*, cum ſic riguiſſet die ſecunda,

t) Epid. 3. 3.

u) Ibidem.

x) Prorrhet. I. 8. Coacar. I. 9. Male nonnullae editiones et quidam commentatores legunt κωματώδεα ῥίγεα, ſoporoſi rigores, errore forſan contractionis, Ionibus non familiaris.

y) Coacar. I. 185.

z) Prorrhet. I. 8.

a) Epid. III. 2. aegrotus 12.

quarta, septima, eademque die rursus noctu, utque verisimile est, sub exacerbatione ejus diei, quam rigor praecesserat; deinde nona die, decima, undecima, decima tertia, mortua est decima quarta, postquam naribus sanguis prodiisset: quod puerperis, febre acuta extinctis, vel imminente morte, vel brevi a morte frequens esse solet. Hi sunt isti *continui in acutis rigores*, quos *pravos* in genere dicit HIPPOCRATES *b)*, et alibi, utique si *torpidi*, sive cum stupore fuerint, *malignos c)*. Sed alius quidam ejus locus, *quibus quotidie rigores in febribus fiant, febres quotidie solvi d)*, ut facile patet, ad intermittentes quotidianas referendus, perperam a nonnullis negatas, etsi paulo rariores reliquis, atque a tertianis duplicibus non difficulter, vel alternorum ordine paroxysmorum, discernendas.

§. VII.

Hic strictim attigenda mihi est, algorum ergo per omnem decursum occurrentium, celebrata ista veterum libris febris semitertiana. Equidem id minime ago, ut anfractus SPIGELIANOS *e)*, DUNIque *f)* diuortia experiar: patebit veterum in lectione versato, illam hemitritaei vocem aut typum quendam febris in genere, intermittentis etiam, aut quandam febris acutae speciem designare. Studiosior experientia febrium et acutarum et longarum omnium, duos frequentissimos

b) Coacar. I. 29.
c) Coacar. I. 22.
d) Aphorism. IV. 63.
e) De semitertiana, libello et operibus annexo et seorsim edito.
f) De hemitritaeo, libello cum epistolis medicinal. edito.

mos quin communes fere typos deprehendet, alterum quotidianum, alterum quotidianum ex tertiano, ut quotidie quidem exacerbationes fint, ſed paribus imparibusve diebus et ordine et vehementia luculenter ſibi reſpondentes. Quotidianus hic ex tertiano typus, eſt ipſe hemitritaeus: adeoque vel hodie typi hujus nomine, febres ſemitertianae ſunt. Idemque eſt ſenſus elegantiſſimi illius HIPPOCRATICI g): *in ſemitertiana dicta, contingit et acutos morbos fieri, et eſt haec omnium maxime lethalis; ſed et tabidi, et quicunque longis morbis aegrotant, ex hac maxime aegrotant.* Id eſt, ſemitertianus typus, quotidianus iſte ex tertiano, frequentiſſimus eſt in febribus tum acutis, tum chronicis. Sin de ſpecie febris hemitritaei vox intelligenda, febris acuta et plerumque maligna is eſt, typi ejus, quem memoravi, ſed cujus exacerbationes alternis diebus cum algore invadunt. Utque hic eſt hemitritaeus ſimplex: ita alius duplex, quum binae alternis diebus exacerbationes cum algoribus, aut alternatim ſingulae cum gravioribus ſunt. Utrumque vel hodie obſervare licet in febribus, quas dicunt, catarrhalibus malignis, ſimplicibus, et exanthematicis, ſigillatim petechizantibus, quas ad phrenitides ſupra retuli; tum in phrenitidis aliis ſpeciebus, in febre miliari, neque infrequenter in purpura proprie dicta, variolis denique morbilliſque malignis. Tales hujus typi acutas veteribus valde ſuſpectas legimus fuiſſe. Praeclare GALENUS h): *Semitertianorum typorum hoc proprium eſt, quod reditus acceſſionum, ἐπαναδιπλώσεις graece*

 appel-

g) *Epid. I. 3. Conf. Galenicus liber de typis c. 4.*
h) *Libro de Typis, c. 4.*

appellatae, saepissime cum perfrigeratione et quasi rigoribus nondum absolutis incurrent. Periculosa porro est semitertiana, ut quae non os ventriculi solum ac nervosas partes attingat, sed et vetenosas cataphoras (coma vigil, soporesque), *et syncoposas diaphoreses* (fugitivos et particulares levesque, cum animi deliquiis sudores), *vigiliasque cum deliriis inferat, linguam praeterea valide exsiccet, vehementer corporis interiora adoriens. In universum ferus periculosissimusque hic typus est. Sane alias a primo die constituitur, alias a secundo ac tertio incipit, unde maxima deceptionis causa oritur medicis ob ejusmodi invasionem. Cum solvitur, alias in tertianam revertitur, alias ob longitudinem accessionis, in duas tertianas aut quotidianas discinditur. Ceterum frequentior, quoad sexum, in viris, quoad aetatem in vigentibus, quod anni tempora, autumno.* Expressam in his imaginem plurimarum ex memoratis paulo ante acutis, persaepe deprehendemus *i)*.

§. VIII.

Attigi paulo ante mala omina ex algoribus horroribusve rigores consecutis, in aestum quippe, rigoris pedissequum, incidentibus, adeoque sub decursu exacerbationis primae, secundaeve interdum, infestantibus. Sed boni sperare itidem nihil licet, si horrores isti socii fuerint levium

i) Tales itidem semitertianae erant febres, veteribus dictae typhodes, elodes, asodes, ad nostras referendae catarrhales malignas, atque a symptomate urgente nomina sua sortitae: quin et lipyriae epialaeque nonnullae. Nam altera vox interdum *febrem intermittentem* altera *mitiorem* quamlibet notat.

um fugaciumque sudorum *k*), alicubi saltem locorum corporis. *Qui ex rigoribus parvis sudoribus perfrigescunt, malum l*). Docet experientia, id esse ex febribus exanthematicis maxime purpurae et miliaris non infrequens initium, nonnunquam et febrium malignarum quarundam. Ceterum, etsi purpurae non obscura vestigia *m*) ex libris erutum HIPPOCRATICIS nunc minime iverim: non dubitare tamen posse videor, quin ad febrem potissimum miliarem referam memorabilem locum *n*): Οἷσιν ὀσφύος ἄλγημα, ἤτοι κακοὶ

k) Horrores sudoresque intelligendos esse, qui sub ipso aestu febrili, vel exacerbatione decurrente, urgeant, docet locus *Coacar. I.* οἱ ἐφιδρῶντες ἐν πυρετῷ, κακοήθεες. Alibi etiam jure suo damnantur sudores profusiores sub ipso aestu febrili, hic nomine πυρετῷ intelligendo, morbique initio, *Prorrhet. I. 7. Coac. IV.*

l) *Coacar. I.* §3.

m) Potissimum *Epidemior.* I. 3. *aegroto 2. et de nat. mul. 12.*

n) DURETIANIS et in hunc locum *Coac. III. 19.* commentariis an plus sit florum quam fructuum, judicent rerum medicarum arbitri. Duo sunt maxime affectus, de quibus, studiosiori duce experientia, intelligi locus hic potest. Alter, febris haec ipsa miliaris, saltem purpura in genere; alter toto diversus coelo, molimina quippe haemorrhoidum per sedem vesicamque, tum solitaria, tum febri aliive morbo acuto vel chronico symptomatica. Habent, fateor, lumborum dolores, tot morborum commune et συνεδρεῦον symptoma, habent rigores horroresve, tremores denique, quod de haemorrhoidum luctaminibus interpretandum suadeat locum, ut omnes αἱμορροΐας Φρικώδεας, *Coac. I.* 270, vere dicit HIPPOCRATES. Sed quorsum hoc sensu Φωτώδας? an ad speciem haemorrhoidum caecarum, cruore quasi pellucente resplendentium vel lividarum? an ad furunculos circa sedem, in-

καὶ ἦ ῥα τετέοισι τρομώδεα γίνεται, καὶ φωῖδες ἐν ῥίγει; *Quibus lumborum dolor, male habent. Num his tremores contingunt, et pustulae pellucidae cum rigore?*

§. IX.

Venio ad febrium acutarum initia ex horroribus alternove caloris et frigoris sensu, vel ipsi magis fere suspecta HIPPOCRATI, quam quae ex rigoribus fiunt, jure quidem suo; utique, si statim distincta fugacibus levibusque sudoribus fuerint, vel qui sub ipso exacerbationum primarum aestu eruperint. *Ex sudore horror, non bonum*

inflammationemve intestini recti? GALENUS *in explicatione vocum* HIPPOCRATIS *obsoletarum*, si quidem GALENI libellus iste est, φωῖδας vocat *circulos rubros in tibiis ab igne exsurgentes*, obscura obscuris involvens. Si crurum mentio ad instruendam φωίδων notionem pertinet, mallem in hanc sententiam intellectos crurum varices. Sed voce illa designari simile quid *pustulis*, alius monere videtur Hippocraticorum librorum locus, *de morbis II. 56.* Ἢν πλησθῇ ὁ πλεύμων, βὴξ ἴσχει, καὶ ὀρθοπνόιη, καὶ ἆσθμα, καὶ τὴν γλῶσσαν ἐκβάλλει, καὶ πίμπλαται φώδων, καὶ ξυσμὸς ἔχει, καὶ ὀδύνη ὀξείη ἴσχει ἐς τὸ στῆθος, etc. *Si pulmo repletus fuerit, tussis tenet, et orthopnoea, et asthma, et linguam exserit, et pustulis obseritur, et pruritus est, et dolor acutus consistit in pectore, etc.* De pleuropneumonia rheumatismi acuti symptomatica, patet, agi. Φῶδες, vel rectius φῷδες, sunt eaedem, quae supra φωῖδες, scilicet aut exanthemata ista rubra, purpurae similia, rheumatismi acuti saepe comites; quin chronici, vulgo quidem *purpurae scorbuticae* nomine: aut pustulae albo humore pellucentes, utrique non infrequentes rheumatismo, aliquando a scabie humida in rheumatismo chronico proximae. Sed quisquis initia decursumve miliaris cum loco supra memorato contulerit,

in

num o); quibus ſudores leviuſculi ἐν πυρετῷ, ſub aeſtu febrili, *maligne habent*, *p*) generatim praecipit divinus Senex. Fallunt incautos facilius, et unam alteramve abſolvunt periodum hae febres, erraticarum forſan vel catarrhalium ſimulacro, dum altera tertiave die et indolem et typum luculenter offerant. Non haec maligna promiſcue credenda: multis communia ſunt acutis ordinariis, neque raro obrepentem ſic phrenitidem, acutam *πολύμορφον*, vel peripneumoniam notham, vel purpuram deſpectui aliquis habuit. Referenda huc ſequentia potiſſimum, eaque veriſſima, ex tripode HIPPOCRATICO; *Horrores ex dorſo crebri, leves, et celeriter tranſeuntes, difficiles, ſignificantque, affore iſchuriam cum dolore q*). Sunt haec ipſa initia febrium exanthematicarum, maxime petechialium et purpurae, quibus, cum ipſo morbi incremento alia inter mala omina, iſchuriam videmus accedere. *Ex dorſo crebris et parvis horroribus leviter inſudantes, in difficili verſantur. Iſchuriam doloroſam ſignificat: hosque leviter ſudare,*

in conjecturam omnino veniet, per *φωῖδας* puſtulas miliares intelligendas, vocemque illam non citra rem, perque ipſam originem, *puſtulis pellucidis* reddi. Quin ſi fortaſſe *φωῖδας* diaereſi Ionica, idem eſſe volueris, ac *φῴδας*, idque metatheſi Aeolica dictum pro *φῷζας*, origine vocis repetita a puſtulis ex ambuſtione natis, ut Galenicae interpretationi nonnihil conſulatur: noſtra inde et conjectura et verſio nihil detrimenti capient.

o) *Aph. VII. 4.* Id pariter ad acutas febres, et ex longis ad phthiſicas pertinet. Conf. *Coacar. I. 16. 25. III. 233.*

p) *Coacar. I. 64.*

q) *Prorrhet. I. 10.* Repetuntur eadem *Coac. I. 12.* et de rigoribus ex dorſo *Coac. I. 18. 44.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0097
DFG

malum r). Horrore affecti, inter multos fugitivos sudores, difficulter habent. Horridi, caput dolentes infudantes, maligno morbo implicantur s). Qui cum perfrigeriis, febre non carentibus, fugaces superiorum partium sudores habent, moleste morbum ferentes, phrenitici et ab exitio propinqui t). Mitis est phreniticorum inter initia febris, unde modicam exacerbationem distinguentes algores vocantur *καταψύξεις ἐν ἄπυροι. Soporosi et leviter sudantes per initia, cum urinarum coactarum simulacro, ardentes, sed citra crisin perfrigescentes, ἀκρίτως περιψύχοντες*, quo tempore nihil dum expectari critici potest, *celeriter rursus ardentes undiquaque, torpidi, soporosi, spasmodici*, qua voce et initio cum hac syndrome tremulos, quive breves gravantesque per somnos pavent, complectimur, *perniciose habent. Somni soporosi et perfrigeria, pernicioſa u). Lassati, κωπιώδεες*, viribus scilicet per initia sine causa evidentiori nimis fracti, *caligantes, pervigiles, soporosi, super haec sudantes, recalescentes, malum x).* Soporosi initio intel-

r) *Coac. I. 69.*

s) *Coac. I. 21. 22.*

t) Saepius dictum, *Coac. I. 101. et 3. Prorrhet. I. 4.* Conf. *Coac. I. 14. Qui leviter sudant, maxime capite, in acutis, nonnihil inquieti, malum tum alias, tum post urinas nigras. Et turbida his respiratio mala.* Phreniticorum hoc est. Urinae nigrae sunt partim quales ictericorum, partim vestigia haemorrhoidum veficae urinariae, nec sufficientis luctaminis virium vitae: cum hujusmodi egestiones phreniticis bonas, aliis acutis malas, rectissime alibi moneat HIPPOCRATES. *Θολερὸν πνεῦμα* est respiratio modo anhela, modo profunda, et quasi intercepta.

u) *Prorrhet. I. 14. Coacar. II. 40.*

x) *Coacar. I. 54. 69. Prorrhet. I. 8. 10.*

intelligendi, deinde pervigiles. *Ex perfrigerio sudoroso cito recalescere γ); et vicissim tardius ζ), malum.* Pejoris haec ominis sunt, si rarae simul sanguinis guttae, praesertim inter exiguos sudores et fugitivos horrores surditatemque, naribus stillarint *a).* Vivas ista sistunt imagines incipientium acutarum, quibus exanthemata, maxime purpura et petechiae, symptomatico sese modo addiderint: tum etiam purpurae primariae, ipsiusque interdum febris miliaris, catarrhalium denique, quas vocant, malignarum, phrenitidumque variarum; quibus, alia inter praesagia, et haec sunt addenda: *Soporosi in principiis, cum capitis, lumborum, praecordii, colli, dolore vigilantes, num phrenitici sunt? Nasus in his destillans, perniciosus, tum alias, tum quarto ab initio die b). Superstites in praecordiis hypochondriisve ardores,* πυρετὸ περιψυχθέντος, *remittente exacerbatione febris, mali, tum alias, tum cum sudoribus c).* Κάυματα haec arguunt turbas quasdam inflammatorias circa hepar,

γ) *Coac. I. 81.*

ζ) *Prorrhet. I. 8.*

a) *Epid. III. 3. 57. Coac. III. 51.*

b) *Prorrhet. I. 1. Coac. II. 36.* De vario periculo tum acuto, tum chronico, inter signa singulis respondentia, a sanguinis per nares fluxu in acutis quarta die, conf. *Coac. I. 186. III. 37. 433. Epid. II. 3. 82. VI. 2. 40.* Differunt αἱμορῤῥαγίαι τεταρταῖοι a sanguinis per nares fluxu in quartanis intermittentibus, quem alibi iure damnat HIPPOCRATES.

c) *Prorrhet. I. 1.* Poterit πυρετὸς περιψυχθεὶς etiam intelligi de algoribus sub aestu; sed eo sensu alibi fere occurrit, non περιψύχομαι sed καταψύχομαι: neque satis respondent ἐγκαταλιμπανόμενα κάυματα. Quin ipsa experientia sententiam asserere meam videtur.

par, ventriculum, colon transversum, lienem; saltemque redeuntis per hepar sanguinis, gravia impedimenta, non secus melancholicis ac phreniticis perfrequentia, sive primarium sive symptomaticum malum fuerit, solitariumve sive cum exanthematibus. Inde certissima inter phrenitidis ineuntis signa, praecordia ad pulsantia attendere HIPPOCRATES toties jubet.

§. X.

Procedo ad algores, qui febrium acutarum incrementis adesse poterunt. Hi aut ipsis inde ab initiis incrementi quandam attingunt partem, ejusdemque sunt et praesagii et periculi: aut incidunt novi. Ac rigores quidem ab initio febris ad statum usque incursantes, exacerbationum antecessores rarius singularum, frequentius alternarum, supra attigi. Novi temporis hujus rigores testabuntur novae cujusdam acutae exordium, in quam transitura est, quae hactenus afflixit: utque respondent alia, ita morbum per complurium acutarum quoddam syrma, aut fore longum non sine vitae discrimine, aut exhaustum hominem certo tandem succubiturum. Utriusque generis exempla ex Epidemiis HIPPOCRATIS arcessita supra dedi. *Quisquis decima septima rigorem perpessus, quarta et vicesima riguerit iterum, difficile hoc est,* δύσολον. *d)* Ultro patet, in ipso dierum circumscripto numero nihil esse momenti, sed hos circiter dies cadere in summa fere incrementa, alterum quidem, febris acutae strictiore sensu talis; alterum vero, febris peracutae, proximam consecutae post priorem ex his rigoribus.

Τὸ

d) Coacar. I. 19.

Τὸ δύσκολον ancipitem criseos alicujus tarditatem hic notat. Rariora quaedam observantur acutarum exempla, quae ex horroribus orsae, erraticaeque initio visae, deinde alternarum dierum rigoribus, aut semitertianae cujusdam instar habent, aut tertianae intermittentis duplicis adeo simile, ut hujus specie, *e*) remissionibusque intermissionum aemulis, fallere minus circumspectum possint. His quidem febribus post rigores ejusmodi facile addiderint sese miliaria exanthemata, quin purpura proprie dicta, aliquando et maculae *f*). De iisdem febribus intellexerim illud *g*): Τριτοφυέα ῥίγεα, ἐν μέσῳ παροξυνόμενα πυρετῷ ἀτάκτῳ, πάνυ κακοήθεα· *Rigores tertianorum similes, exacerbati media febre hactenus typo carente, omnino maligni.* Alius hujus temporis rigor, pro comitum syndrome signorum, affuturam symptomatico modo febrem quandam inflammatoriam, testari potest. Sic ad pleuropneumoniam pleuritidemve symptomaticam hoc referendum *h*): *Ex perfrigerio sudores non recalescentes, malum. Super his ardor dolorificus in latere, et rigere, malum.* Id cum aliis, tum illis non infrequens, cum acute febrierint, quibus opportunum phthisi corpus est,

e) *Febres intermittentes, et quibus horrores accidunt, magis aestate fiunt. Hae quandoque malignae fiunt, et in acutos morbos degenerant. Epid. VII. 40.* Malignarum vere intermittentium exempla ex MENIOTIO, SALIO DIVERSO, MEIBOMIO, SIM. PAULI, SENNERTO, huc non transtulerim.

f) Non temere exanthemata quaelibet jungi acutis symptomatico modo observantur: sed aut miliaria, aut purpura, aut maculae.

g) *Coacar. I. 37.*

h) *Prorrhet. I. 8.*

est, itemque rheumatismo acuto laborantibus. Pessimus eodem nomine, et, quo propius instat febris vigor, phreniticis omnibus per hoc tempus rigor est, utique *si alvi egestiones simul albeant, et stupor quidam adfuerit i*). Cum enim frequentissimum est phrenitidis et peripneumoniae consortium, ipso multis locis innuente HIPPOCRATE: tum fere phreniticis, sive idiopathicum sive per consensum obortum malum fuerit, hepatis quaedam vitia sunt, et circa illud, sitaque sub hypochondriis viscera turbae inflammatoriae, ut paulo ante submonui. Vicissim de imminente alteri cuipiam acutae phrenitide symptomatica hoc intelligendum: *k*) *Qui in febribus ardentibus nonnihil perfrigescunt, egestionibus aquoso - biliosis crebrisque, his oculorum jactatio cum nictatione,* ὀφθαλμῶν ἴλλωσις, *malum signum, tum alias, tum si stupor prehenderit.* Si vero, qui jam phreniticus est, perfrigescat, simulque sputationes illi sint crebriores, *vomitus nigrorum* consequitur *l*). Nigra ista sunt non tantum fusca quaedam proluvies, sed cruoris vasis egressi coagula, quorum causa est impeditior ille in omnibus ut melancholicis sic phreniticis motus sanguinis per hepar. Isque vomitus, ut alia respondent, ita interdum non sine magno levamine fit. Sic alvum urinamque sanguinolenta, iisdem de causis, bona phreniticis alibi jure HIPPOCRATES pronunciat *m*). Rigores illos sextae diei δυσκρίτους supra strictim attigi. Ut reliqua conveniunt signa, ita alii sunt mor-

i) *Coacar. I. 137. Prorrhet. I. 2.*
k) *Coacar. I. 187. Prorrhet. I. 10.*
l) *Aph. IV. 46. Coac. I. 15.*
m) *Prorrhet. I. 4. Coacar. I. 147.*

morbi productioris, alii vero attritis jam aegri viribus *n*), non paribus scilicet ferendae novae illi febri, cujus initium iste rigor est, brevi exitiales *o*). Vicissim horrores ejusdem diei non solum discriminis nihil attulisse, sed antecessisse postridianae per sudorem criseos initia, ab HIPPOCRATE notatum est *p*). Alioqui horrores ex dorso et lumbis, sub incremento acutae ordinariae, utique quo propius abest febris vigor, cum sudoribus intempestivis, respiratione difficili, facie flammea, oculis subinflammatis et lacrimosis nonnihil, praesagos esse consuevisse purpurae symptomaticae, experientia non infrequens testatur. Ceterum generatim hujus temporis haec sunt *q*): *In morbo acuto externas partes perfrigescere, internas autem ardere cum siti, malum.* Id maxime attendere licet in purpura puerperarum, in febribus acutis cum inflammatione viscerum, maxime imi ventris, in variis phrenitidum speciebus, praesertim febribus petechialibus. *Extrema subito in alterutra translabentia*, calorem scilicet et frigus, *omninoque hujusmodi sitis, malum* *r*). Quippe et haec inflammationes intestinas arguunt, iisdemque in acutis observantur.

§. XI.

Sed ante, quam excedamus incrementorum spatiis, mentio addenda est dignissimorum notatu algo-

n) *Prorrhet. I.* 1.
o) *Epidem. I. 3. aegroto 11.*
p) *Epidem. I. 3. aegroto 14.*
q) *Aph. IV. 46.* lethale dicitur, malum in genere *Coac. 165.*
r) *Coac. I. 77.* Poterunt etiam τὰ ἄκρεα ταχὺ ἐς ἀμφότερα μεταπίπτοντα de jactatione artuum intelligi, sed procul dubio subitaneas caloris et frigoris in extremis vices innuere HIPPOCRATES voluit. Conf. *Prorrhet. I. 4. 2.*

algorum hujus temporis, quorum alii paulo ſunt obſervatu frequentiores, prodromi ſcilicet dyſuriae cujusdam, mali et lethalis fere ominis: alii rariores nonnihil, icterum ſymptomaticum nunciaturi. Supra dictum eſt, febres acutas, quarum initia cum fugacibus crebrisque ex dorſo et lumbis horroribus fiunt, non raro ſub incrementis pediſſequam habere conſueviſſe urinae difficultatem. Iidem horrores, qui praeſertim cum imminentis delirii ſignis, aut ſoporis, aut agrypnocomatis, ſub incremento febris ſic redeunt potiſſimum incurſantve, ut mediam quandam declinantemve exacerbationem potius, quam incipientem occupent, ſequacem dyſuriam habere variam ſolent, in peſſimorum ſymptomatum cenſu habendam, multoque frequentiſſimam in omnibus phrenitidis ſpeciebus. Neque carere hoc monſtro acutas illas, quae ex rigore orſae fuerint, cum ad incrementa, vigorisque ſui confinia pervenerint, incidentesque tum hujusmodi horrores rigoresve ejus eſſe prodromos, non infrequentia tum alia, tum vel maxime pleuritidum exempla docent, illarum utique, ad quas referendum hoc effatum eſt HIPPOCRATICUM: *Quibus pleuriticis initio dolores molles ſunt, quinta vero vel ſexta die exacerbantur; hi potius ad duodecimam perveniunt, neque omnino ſervantur. Periclitantur autem maxime die ſeptima et duodecima. Ubi vero bis ſeptem effugerint, ſervantur* s). Ceterum ad omnes omnino dyſurias, acutarum item febrium ſymptomaticas, hoc ſpectat δὶς λεγόμενον· *Quibus rigor, his urinae ſuppreſſio* t). Urinae cum rigo-

s) *Coacar. III. 138.*

t) *Coac. I. 43. Prorrhet. I. 15.*

rigore ſuppreſſae, malae et convulſoriae, tum alias, tum ſi cui ante ſopor fuerit, προκαρωθέντι. Spes autem his eſt abſceſſuum pone aures u). Et hoc omnis quidem dyſuriae gravioris eſt, repetito, inque ipſam iſchuriam incidente rigore: ſed maxime lethargum comitatae. Huic nihilo ſecius, ac phrenitidi, febris omnino inflammatoria eſt, teſte vel ſanguine miſſo, ſed adeo levis mitisque ad contactum, praeſertim initio, ut vix ſentiatur. Ejusdem pronunciati exempla luculenta alia in hanc ſententiam offerunt ſtudioſius obſervanti acutae omnes, quibus perditum illud ſymptoma, agrypnocoma, vel acceſſit, vel acceſſurum eſt; maximeque in his febres acutae variae puerperarum, tum ex partu difficili, tum illae cum praecipiti uteri gangraena conjunctae, de quibus hoc divini ſenis malum omen eſt: *Ante partum rigorem habere, et partus citra dolorem, periculoſa x).* Generatim is denique *peſſimas* pronunciat *urinarum in acutis interceptionem ex perfrigerio y)*, horror illud fuerit, rigorve. Memorantur viciſſim in Hippocraticis, carentes tanto periculo urinae difficultates, *ſed ante rigorem, et ſi ex bonis profectae fuerint*, ſi nulla ſcilicet mala ſigna praegreſſa fuerint, *et alvus egerat*, quae cum iſchuria non poteſt non eſſe conſtipata, leviorem adeo hic teſtata affectionem, *omnino etiam reſpondeant*

u) *Coac. 34.*

x) *Coac. III. 440.* Obiter addiderim, rigores horroresque, ſub ipſo partu difficili, minus quidem teſtari mortem foetus, ſed initium potius febris inflammatoriae ex utero.

y) *Prorrhet. I. 7. Coac. I. 5.*

deant et febris et debilitatis rationes z). Id vero et ipsum confirmat experientia, exemplo vel rheumatismi acuti. Hanc dysuriam solvit tantisper subsequens rigor, antesignanus supervenientis febris novae. Idem videmus contingere pueris, maxime qui vermibus intestinorum cum febre acutiori affliguntur. Sed huic febri modum esse convenit, ne et de hac dysuria puerili valeat illud: *Vesicae durae et dolentes omnino quidem malae, pessimae autem cum febre continua. Namque dolores ex illis facile occiderint; hisque alvi minime egerunt. Solvit autem prodiens urina purulenta, albam et laevem habens hypostasin. His vero non solutis, neque remollita vesica per primas periodos,* febris quippe sociae, *aegrum periturum, timor est. Fit autem hoc maxime a septimo anno ad decimum quintum a).* Ultro autem patet, circumspiciendum in omnibus his dysuriis, an ex calculo insidiarum quid lateat, an haemorrhoides, an ex utero aliquis morbus: quae quidem et addere periculo, deque eodem detrahere viciſſim, et circumscribere prognosin possunt.

XI.

Supereſt, ut attingam algores incrementi, nuncios icteri symptomatici. Generatim docere potest experientia, febres acutas, quibus ille accedit icterus, esse fere aut ex phrenitidum cohorte, aut acutarum ordinariarum, praesertim vernalium

z) *Epidem. VI. 1.*

a) *Coacar. III. 334.* Urina purulenta non videtur hic stricto sensu intelligenda: sed qualis post omnem immodicam in vesica moram prodit, praecipitationis quippe initia experta, turbida, mucosa et semiputrida.

lium, et plerumque paulo vehementiori aestu affligentium neque malis signis stipatarum, quas bilioſas loco ex Hippocraticis deinde adducendo dici verisimillimum est, quibus et ipsis criticus icterus frequentior esse solet: nam de intermittentibus, et a continuarum indole propter extensos paroxysmos propioribus, hic non agimus. *Lassati cum horrore, si superſudarint quasi critico modo, recalefacti in febre acuta, male habent, tum alias, tum si sanguinis parum naribus stillarit. Ictero affatim infecti moriuntur: alba vero ante alvi egestio est b).* Pertinet hoc effatum ad phrenitides quasdam, quarum incrementis accedit icterus symptomaticus, pediſſequo interdum lethargo brevi lethali. Κοπιώδεες μετὰ ῥίγεος, sunt febre jam aliquantulum conflictati, superveniente illo icteri indice horrore. Ἐφιδρώσαντες κρισίμως, ἀναθερμανθέντες ἐν ὀξεῖ, quorum sudor aliquid critici simulat, circa temporis et reliquorum respondentium rationem: *recalefacti*, horrore aut exacerbationis cujusdam anteceſſore, aut in ipsam exacerbationem incidente; in quam, aliorum forte, sententiam, ἀναθερμανθέντες, ἐν ὀξεῖ etiam esse possent *repente recalefacti*, etsi τὸ ὀξὺ hoc sensu in Hippocraticis rarius occurrere fatear. Guttae illae sanguinis ex naribus cum surditate, delirii indices sunt, lucemque isti praesagio et hoc addit: *Surditas, et urinae non subsidentes, valde rubrae, suspensa quaedam saltem habentes, deliria portendunt. His icterum accedere, malum c).* Alibi universim praeclareque pronun-

 ciat

b) *Coac. I. 55. Conf. Coac. I. 94.*

c) *Prorrhet. I. 4.* Quae proxime hunc locum antecedunt, liquido agunt de phreniticis.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0107
DFG

ciat HIPPOCRATES *d*): *Quibuscunque in febribus accedit ictterus, antequam septem dies elapsi fuerint, malum, nisi confluxerint per ventrem humores. Quibuscunque in febribus intolerabilibus, sive aestuosis valde, accedit ictterus septimo, aut nono, aut decimo quarto die, bonum, si praecordium dextrum non fiat durum: sin minus, ambiguum e).* *In febre biliosa*, quam supra explicandam expertus sum, *ictterus accedens, citimus in septimum diem cum rigore*, novae solutoriaeque febris primipilo, *solvit febrem*, scilicet praegressam. *Verum sine rigore si accedat, et extra temporis occasiones*, quippe maturius, *pernicioſus*, sive acute, sive chronice *f*). Neque est, ut hic repugnanter dicta metuamus. Experientia quisquis ad explicandum Hippocratem usus fuerit, et superiori loco dictum animadverterit πρὸ τῶν ἑπτὰ ἡμερῶν, posteriori vero, πρὸ τῆς ἑβδόμης, *citime in septimum*, istos dies non circumscripto numero, sed de vigoribus acutarum generatim nostro sub coelo intelligendos memor, non difficulter omnibus sese expediverit, conspirante rerum usu. Atque hic de biliosis illis febribus intelligendum monet et hoc memorabile *g*): *In febribus ardentibus*, causos vocat HIPPOCRATES omnes peracutas graviori aestu affligentes, *ictterus accedens septimo die posterior*, id est, trans vigorem et sub declinatione, *indicium in-*

d) *Aphorismor. IV. 62.*

e) *De crisib. IV. et Aphor. IV. 64.* Icteri ejusmodi symptomatici, post rigorem tertiae diei oborti eadem die circa vesperam, sed non lethalis, septimaque die soluti, exemplum elegans legitur. *Epidem. VII. 57.*

f) *De Victu acutor. 54.*

g) *De Crisibus 3.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0108
DFG

intercepti ſudoris. Nam mors non ſolet ſudore finiri, ἡ φιλέει ἐξιδρῶν, *neque alibi usquam abſceſſum producet, ſed ſanus fit*, febre illa ſcilicet. Supra attigi, criſium perfectarum et declinationis febris eundem decurſum eſſe, criſesque ſub ipſa declinatione partitim fieri, et tandem evaneſcere. Intercipit ſudoris decurſum ſub declinatione, et cum finibus tardantium et paulatim evaneſcentium exacerbatiuncularum reditum, conſtipatis cutaneis ſpiraculis iſte ictерus, lento gradu et ipſe delendus, niſi hepar vitium contraxerit. Bilioſa iſta colluvies, exundans in omnia celluloſa adeoque et ſubcutanea, ut cadavera ictericorum docent, tum ipſa exhalantia vaſa videtur obſtruere, tum et inter ipſas bracteolas epidermidis effuſa haerere, cum epidermis ictерici, veſicatoriis admotis, maxime vel elota flaveat, neque ſaltem a ſubtus collecto ſero tingatur. Inde ictерici difficillime ſudant, neque *ſubtilem adeo tactus ſenſum illis eſſe*, alio loco HIPPOCRATES veriſſime docuit *h*).

XII.

Sed contemplandi nunc ſunt ſtudioſius algores et ipſi maxime memorabiles, qui in vigorem febris acutae, quumque criſeos inſtant initia, et poſtea, incidunt. Generatim HIPPOCRATES non ſemel pronunciat ὑπόφοβον ἅμα ῥίγεϊ ῥῖγος, *rigorem cum criſi, conjunctum habere aliquid ſubmetuendi i*): quod opus ſit vel doctiſſimo cuique ex-

h) *Coacar. III. 339.*

i) *Prorrhet. I. 14. Coacar. III. 22.* De rigoribus hujus temporis intelligendum illud *Epid. VI. 1. Quae ad rigores fortes procedunt, non omnino mitigantur, ſed propinqua ſunt vigori.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0109
DFG

exercitatissimoque, serio circumspiciendis omnibus, ad recte aestimandos hos algores. Possunt scilicet initia esse succedentium acutarum novarum, vel recidivarum, possunt sudores portendere, haemorrhagias, vomitum, abscessum, transitum in febrem quandam intermittentem, mortem denique, ut alia atque alia respondent signa, tum ex febris specie, tum aegri corpore sedulo petenda.

XIII.

Ac protinus quidem hic sese offert pervulgatum illum, et non facillimum intellectu HIPPOCRATICUM, pluries in libris ejus occurrens *k*), idque commentatorum divortia abunde expertum: ὑπὸ κάυσε ἐχομένῳ, ἐπιγενομένε ῥίγεος, λύσις· *Causo sive febre ardente detento, rigore superveniente, solutio.* Id effati medicis Graecis sequiorum temporum permagna dignitate fuisse videtur. GALENUS, de causis discriminibusque rigoris copiose disputans *l*), illius auctoritate in suam sententiam utitur. AETIVS cum intermittentes febres, antecessoribus paroxysmorum rigoribus, pediissequisque sudoribus, a continuis discernere docuisset; ἐπὶ γὰρ κάυσε, inquit, ῥίγεος ἐπιγενομένε, λύεται τὸ νόσημα *m*)· TRALLIANUS, cum similia fere tradidisset, ἐδίδαξε δὲ ἡμᾶς, ait, ὁ θειότατος ἱπποκράτης, ὅτι ἐπὶ κάυσε ῥίγεος ἐπιγενομένε, λύσις *n*). Id vero quo accipiendum modo esset, citeriore aetate non eadem omnium fu-

k) *Aph. IV. 58. de Crisib. 11. Concar. I. 188.*

l) *Lib. de tremore, palpitatione, rigore, etc. c. 6.*

m) *Lib. 5. c. 77.*

n) *Lib. 13. c. 9.*

fuit sententia. Minime videntur audiendi, qui febriles turbas rigoris istius ministerio protinus coërcitum et sufflaminatum iri crediderunt, instar Neptuni illius Virgiliani, dum

dicto citius tumida aequora placat.

HECQUETUS o), aphorismos HIPPOCRATIS post tot aliorum operas ad mentem ejus a se expositos confisus, *quantum*, inquit, *febribus periculi veniat a spasmodicis aut tendinum subsultibus, compertum est atque confessum; impotentis enim ac depressae naturae signa sunt, morbidique erethismi testimonia: febri vero ardenti, ubi superat solidorum elater, superveniens rigor, praedominantis in fluida potentiae opus est, quo discussis fluidorum stasibus, mitescit ardor, qui calefaciendo succos digerit, subigit, coquit, solvitque febrem.* Obsusurrarint hic manes Terentiani:

Recte mones, multo sum quam dudum incertior.

Excelsis relictum cupio ingeniis, ut veras hujus rigoris origines verosque effectus explicent: mihi sufficiat indagasse, qua ratione in usum rei clinicae intelligendum videri dictum hoc ipsum possit, fortassis non sine causa πλεονάκις λεγόμενον. Febres igitur ardentes HIPPOCRATI sunt omnes peracutae ordinariae, ut paulo superius attigi, quarum vehementior aestus est, qua tribu et rheumatismus acutus, et inflammatoriae febres pleraeque, maxime pectoris, continentur: non autem vulgares febres malignae, non phrenitides, quibus eodem teste *febres sunt ad contactum non*

o) *Aphorismis Hipp. ad mentem ipsius, artis usum et corporis mechanismi rationem expositis. T. I. p. 287.*

adurentes p), nisi circa vigorem febris reddita fuerit ardentior, quale deinde memorandum HIPPOCRATICUM exemplum est: non denique complures exanthematicae, excepta interdum purpura proprie dicta. His in peracutis ardentibusque febribus, quae et ipsae magnam partem ex rigore incipiunt, ubi summum vigorem, eamque attigerunt exacerbationem, quae vigoris est gravissima et tanquam apex quidam, contingere omnino solet, ut illam ipsam gravissimam exacerbationem, jamjam incursantem imminentemque, antecedat rigor, excipiat paulatim aestus vehementissimus, cumque declinante illa exacerbatione profusus toto corpore sudor, neque raro comite profundo somno consequatur. Hic sudor, cum urina cocta conjunctus, est criseos perfectae exordium, socias interdum habens haemorrhagias narium, rediturus deinde aliquoties, sed semper levior, per reliquum declinationis tempus, cumque ipsis finibus, tardantium, decrescentium, et tandem evanescentium exacerbationum. Atque haec vel hodie non rarissima observatu sunt in acutis hujus generis, maxime pleuritide et rheumatismo acuto, dummodo de justis missionibus sanguinis, antiphlogisticisque et prospectum, et tum neglectis his, tum intempestivo sudoriferorum usu perturbatus morbi decursus, perventumque ad signa desperati ominis ne fuerit. Est igitur ille rigor sudoris nuncius, dictumque illud HIPPOCRATICUM hac periphrasi omnino instruendum: *Febre ardente detento, rigore* sub ipso summo vigore febris, et sine lethalibus signis, *superveniente*, exacerbationemque summi vi-

p) Coac. II, 137.

vigoris graviſſimam praegreſſo, haec exacerbatio finitur in ſudorem profuſum, incipitque febris *ſolutio*. Atque haec conſpirare cum HIPPOCRATICA mente, aliis librorum ejus locis et facile et abunde confirmari poteſt. Ἐν *κάυσῳ*, inquit, *ἐὰν ἐπιλάβῃ ῥῖγος, φιλέει ἐξιδρῶν. In cauſo ſi rigor corripuerit, ſudore finiri amat q*); et protinus haec ipſa verba excipit ſupra memoratum illud: *Cauſo detento, rigore ſuperveniente, ſolutio.* Alibi *r*) refert de acute febriente, utque videtur, phrenitico. *Hic*, ait, *niſi ſeptima die illum rigor prehenderit, et febris vehemens, et exſudarit, niſi haec fiant, moritur ſeptima vel nona.* Per febrem vehementem intelligendus rigorem gravem excipere ſolitus gravior aeſtus. *In Thaſo plerique aegroti circa criſin rigebant, maxime haemorrhagiam nullam paſſi. Hi ipſi vero et poſtea riguerunt et exſudarunt s*). Cleonactides quidam Thaſius, perpeſſus complurium acutarum quoddam ſyrma, *octogeſima die riguit, correptusque febre acuta*, id eſt gravi aeſtu, rigoris pediſſequo, *multum ſudavit, perfectam criſin expertus t*). *Heraclidae uxor cum ſeptima die parum riguiſſet, modice item deinde incaluiſſet, ſudavit per totum corpus perfecta criſi u*). Memorabile hic eſt, collatis ſuperioribus, rigoris modum aeſtui reſpondere mutuo conſueviſſe. At pluribus eandem in ſententiam adducendis HIPPOCRATICIS ſuperſedeo locis, utroque patere arbitror, ſic intelligenda et illa eſſe,

q) *De Criſib. 11.*

r) *De morbis II. 37.*

s) *Epidem. I. Sect. 3.*

t) *Epid. I. 3. aegrotus b.*

u) *Epid. IV. 57.*

se, quibus generatim criseos cum rigore mentio fit x): quin et alia, quibus notantur rarioribus quasi exemplis, quibus rigor sudore recidivas non solverit; quum alibi monuerit HIPPOCRATES, *recidivam ardentem febrem plerumque sudore solvi y)*, et praegressi hunc sudorem rigoris itidem relata exempla sint z). Duplicem etiam urinae speciem describit HIPPOCRATES, rigorem hunc inter alia signa indicantem. Alteram vocat ῥίγεως δηλωτικὴν, dilucidam rigoris jamjam imminentis testem et pedissequam, cui *sputo simile et limosum sedimentum sit a)*; qualem urinam vel hodie in rheumatismo acuto, oborto sic rigore profusis sudoribus solvendo, et postea, observamus. Alteram σημαντικὴν appellat, praesagam rigoris, nondum quidem instantis, sed propediem expectandi, *tenuem* quippe, *subnebulosam, inque medio enacorema quoddam habentem b)*, qualis ad confinia incrementi febris et allaturi crisin vigoris est, cum altera ipsam crisin, et quam proxime antecedat, et deinde copiosiori sedimento comitetur. Neque desunt vel horroris tandem exempla, qui hoc quidem et tempore, et his conditionibus, sudorem criticum portenderit. *Lariſſaea quaedam virgo, cum sic inhorruisset, multum calidum toto corpore sudorem emisit c)*. Quicquid ceterum est hujus argumenti, praeclare instruentem illustrantemque

x) *Epidem. IV. 9. 16.*

y) *De Crisibus 9.*

z) *Epid. I. 3. aegroto 13, et alibi. Conf. Epid. I. Sect. 2.*

a) *Coacar. V. 42.*

b) *Coacar. III. 432.*

c) *Epidem. III. 3. 12.*

que audire fas est AETIUM *d*): *Sudoribus febrem solutum iri pernoscimus, si fuerit ardentissima,* ἐκ τῦ εἶναι διακαέσατον, *qualis est causus appellata febris. Biliosa enim haec aegritudo est, cumque in vehementi motu fuerit, rigorem procreat. Si igitur proportionaliter et alvus cohibita fuerit e), aut urina, immineatque crisos tempus, expectare rigorem convenit. Sin vero cohibeantur utraque, neque signa vomitus fuerint, neque haemorrhagiae, sudor necessario multus erit. Maxime autem, si quidem et aegri nonnihil deliraverint increscente exacerbatione,* ἐπειδὰν παραπέσωσιν οἱ κάμνοντες ἐπιδόντος τῦ παροξυσμῦ, illa scilicet exacerbatione, quae rigorem hunc exceperit, *sin et calidiores extrinsecus fiant, et vapor quidam calidus corpore emittatur, qualis non fuerat prius, qualisque modo lotorum est; sin pulsus denique magni et sublimes et crebri sint f), in diastolen potissimum acti, et quasi fluctuantes,* εἰς διαστολὴν μᾶλλον διειγόμενοι, καὶ ὅιον κυματώδεις g).

XIV.

d) *Lib. V. c. 51.*

e) *Prognostic. 9.*

f) *Epid. IV. 10.* Ἐν τοῖσιν ὀξυτάτοισι τῶν πυρετῶν, οἱ σφυγμοὶ πυκνότατοι καὶ μέγιστοι. Unicus omnium hic fere Hippocraticus locus est, quo pulsus, inter signa morborum et febris potissimum, alias aliisque in argumentis non infrequens, fiat mentio. Illa res mira jam dudum visa fuit CORNARIO, in praef. ad latinam versionem librorum Galenicorum de uteri diss. de sem. et de foetus form. Basil. 1536.

g) Vix dubium videtur, quin pulsus hic κυματώδης sit ipse iste *inciduus pulsus*, sudoris nuncius, FRANCISC. SOLANO *de* LUQUE.

XIV.

Acutis febribus post crisin minus perfectam succedere aliquando intermittentes, maxime omnium tertianas, quorundam annorum opportunitate, et has vere potissimum vel aestate, interdum ineunte auctumno et quartanas, experientia docuit. Plerumque autem post acutas ordinarias, post pleuritidem, pleuropneumoniam, rheumatismum acutum, interdum post purpuram proprie dictam, quin et variolas discretas, id contingere solet. Sunt et rarissima quaedam exempla tertianae intermittentis soporosae post phrenitidem. Hic vero attendendum erit, an mitescente vel declinante jam acuta, sine signis et justae et absolutae crisεos, rigor inciderit aliquis, hunc sudore finiendus paroxysmus, hunc apyrexia consequatur. Qualis vero subitura febris sit, vel dies unus alterve docebunt: quin a gravi et diuturno paroxysmo, et praesens et perquam probabilis tertianae conjectura esse potest; forsan etiam subluστre quoddam simulacrum per vicissitudines insolitas eam tenentes periodum, antecedit, quae febri erit subiturae. Addemus a divino Sene proposita signa conjicienda-rum tum remissionum, tum intermissionum, ex facie *h*), et lingua *i*). Generatim denique inter praesagia succesσurae intermittentis, minime et hoc despiciemus *k*): *Urina, quae sedimentum habuit, deinde turbida redditur, talisque perstitit,* ἕρον ὑπόστασιν ἔχον, ἐπιταραχθὲν, καθιστάμενον, *rigorem circa crisin designat, fortassis etiam in ter-*

ti-

h) Coacar. II. 104.

i) Coac. II. 141.

k) Coac. V. 59. 60.

tianam vel quartanam transitum. Quin febris acuta, crisi imperfecta declinans, absceſſumve eminus minari jam visa, *ad quartanam perveniet, si intermiserit, et erraticas periodos asciverit, atque inter haec jam auctumnus propinquior fuerit l).*

XV.

Si algor aliquis inciderit post vigorem, mitescente sine luculenta crisi febre, et inter indicia recidivae, ab HIPPOCRATE compluribus locis praeclare tradita, haec et metuenda, et initium ejus ille algor erit. Ac sigillatim horrores, recidivam cum purpura proprie dicta non infrequenter praesagient. Memorabile est, experientiamque vindicem habet illud: *Cum recidiva est febris ardens, plerumque sudore finitur;* ejusque sudoris et hic nuncius rigor est. *Sic in Thaso, qui sub crisin in febre priori riguerunt, in recidivis etiam cum crisi riguerunt m).* *Febres ardentes recidivae fieri consueverunt, idque ubi diebus quatuor significarunt, sudore postea finiuntur: sin minus, septima vel undecima die n).*

XVI.

Crises minus perfectas et eadem et recidiva febre, comitantur consequunturque absceſſus, reliquiarum succenturiati vindices: quin frequentius postea, febre tantisper mitescente, sed ἀλόγως producta, dum initium fiat apparatus ad absceſſum. Id vero algoribus variis, maxime quidem horroribus, sed rigore nonnunquam, sese affuturum

l) *Prognost. 24. Coac. I. 106.*

m) *De Crisib. 9. Epid. I, 2. 208.*

n) *Coacar. I. 189.*

rum teſtatur, inter indicia et recidivae, utique ſi a vigore immineat, et ſigna abſceſſibus proſpiciendis communia, copioſe praeclareque propoſita ab HIPPOCRATE *o*), compendiove quodam ab AETIO *p*). Sunt hi ſcilicet algores ipſum novae febris exordium, quicum inflammatio loci ejus non poteſt non eſſe, qui abſceſſum concipiet. Is, num ad externa membra, eaque vel ſuperiora vel inferiora, num alicubi viſcerum futurus ſit, aliis HIPPOCRATICIS praeceptis conſtabit *q*), quae hic expedire non attinet: abſceſſuum ſaltem ad aures ambitu et abſceſſus glandularum maxillarium complectendos addam. Ad algores igitur per mancam hanc acutarum declinationem ſic incidentes, hoc referendum *r*): *Perfrigefactis cum praecordiis intentis, magnus circa aurem tumor.* Anteſignanus iſte ſcilicet algor alterius cujusdam febris eſt, inflammationem comitatae, quae abſceſſum producet: nam *circa generationem puris febres et dolores magis contingunt, quam illo abſoluto s*). Supra dictum eſt de ictero tum ſymptomatico tum critico, acutis quibusdam accedente. Utrique non infrequentes ſunt abſceſſus parotidum; inque eam ſententiam hoc memorabile eſt *t*): *Quibus profunde et crebro reſpirantibus,* πνευ-

o) *Prognoſt. 8. 22. 24. Coac. I. 202. et compluribus, praeſertim Coacarum et Prorrheticorum locis.*

p) *Lib. 5. c. 51.*

q) *Generatim Aph. IV, 81. 83. De aliis corporis locis, potiſſimum de parotidibus, per l. de Criſ. Prognoſtica, Prorrhetica et Coaca paſſim.*

r) *Coacar. I. 154.*

s) *Aph. II. 47.*

t) *Prorrhet. I. 23.*

πνευματίσιν, *est ictérus et febris acuta, si cum hypochondriis duris perfrigefacti fuerint, glandulae juxta aures intumescunt.* De hypochondriis duris, tensis et tumidis, hoc quidem febris tempore, et hac rerum facie, abscessuum ad aures indicibus, alibi copiosus est HIPPOCRATES *u*). Eadem opera, quae de hypochondriis cum ictero tali duris ante allata sunt, dilucidiora reddantur. Nam ut alia respondent, ita vel ictérus reddetur diuturnus, et alia chronica mala prospicienda sunt: aut accedente algore ejusmodi, consequentur parotidum abscessus, ictéri et reliquiarum febris vindices. *Durities circa ventrem cum dolore, praesente febre cum horroribus, appetitu ciborum nullo, alvo subliquida quidem, sed ad purgationem non perveniente, transit in suppurationem x*). Poterunt haec, fateor, de aliis quibusdam, iisque diuturnis morbis intelligi: inprimis tamen abscessuum febrilium in acutis accensenda erunt praesagiis, febre scilicet ἀλόγῳ, neque ad incolumitatem declinante, aegrumque ancipiti spe recuperandae secundae valetudinis tantisper trahente, dum horrores isti et febris alterius, et inflammationis in abscessum initia fecerint. Alvi fluxus, cujus hic fit mentio, abscessum et interceperit, et levaverit conceptum. Favet meae sententiae alius locus HIPPOCRATIS *y*), sed addubitare quasi, et plura tum in eandem sententiam, tum de aliis abscessuum istorum epigennematibus ad experientiam instruendam testimonia conqui-

u) *Prognost. V. et VI. aliisque compluribus locis. Conf. hic potiss. Coac. I. 178. II. 256.*

x) *Coacar. II. 273. VI. 102.*

y) *Prorrhet. I. 33. Coac. II. 85.*

quirere visi: *Num quibus abscessus sunt juxta aures, capite dolent? Num sudant superioribus? Num etiam rigent quodammodo, deinde et alvus erumpit, et soporosi quid habent?* Rigorem hunc illustrat, quod alibi de formato jam abscessu legitur z): *Urinae in abscessibus juxta aures celeriter et vix modice coctae, malae. Et perfrigefieri hoc modo malum.* Abunde scilicet patet, algore istiusmodi novam denunciari inflammationem, aut auctu-ram abscessum praesentem, aut alium productu-ram. Si denique abscessuum criticorum ad parotides vel maxillares glandulas manifesta initia *disparuerint, neque ad suppurationem progressa fuerint, his ita commutatis, recidiva timenda est, secundum recidivarum rationem, eadem periodo*, id est, recidivarum communibus signis, et praevio algore quodam, eaque periodo, quae antegressae febri fuit: *aut abscessus ad articulos expectari poterit, aut urina crassa, qualis est in quartanis gravioribus, ab abscessu liberabit. Quibusdam vero horum etiam fient narium haemorrhagiae a).* Ceterum librorum Hippocraticorum alius locus adversari visus, *abscessus non valde, quibus rigores b)*, accipiendus videtur de rigore sudorum criticorum potius quam abscessus nuncio, in epidemiis illo tempore per Cranonem acutis.

XVII.

Pergo ad illos algores, qui cum vigore febris acutae, vel per declinationem, testantur haemorrhagiam quandam, maxime narium, affo-

z) *Prorrhet. I. 21. Coac. V. 66.*

a) *De Crisibus 19.*

b) *Epid. VI. 1.*

fore. Scilicet haemorrhagiae aliarum saepe crisium in societatem veniunt, cumque sudor, auctore HIPPOCRATE, omnibus communis est crisibus, tum huic potissimum sese addunt, quin et absessus consequuntur, aut comites illos habent, et vicissim pedissequos, ut non uno loco ab HIPPOCRATE notatum est. Recte idem dicit omnes αἱμορῤῥοίας φρικώδεας c), *sanguinis fluxus cum horrore quodam fieri*: idque ad omnes pertinet, sive per initium acutarum, sive in incremento, sive sub vigore et postea contigerint, rariusque omnino rigorem imminentis haemorrhagiae nuncium observamus. Sic narium ista symptomatica stillicidia, et vestigia cruoris per sedem, per vesicam, per muliebra d), praesagio pessimo in principiis incrementisque apparentia, cum horroris potius quodam sensu solent esse conjuncta, potissimum rarae illae cruoris ex naribus guttae, quae cum surditate et torpore, exiguisque et frigidiusculis sudoribus tum temporis stillant e) maxime in pleuriticis, pleuropneumonicis, phreniticis, hisque praesertim circa quartum diem f): perditissimo quidem omine, secundum commune illud g): *Parva comparere, ut pusillas sanguinis stilleas h), et urinam (i, et vomitum k), et secessus l), pe-*

c) *Coac. I. 270.*

d) *Coac. III. 458. Conf. Prorrhet. I. 17.*

e) *Coac. III. 51. 62. Prorrhet. I. 21.*

f) *Prorrhet. I. 1. et compluribus aliis locis.*

g) *Coacar. V. 87.*

h) *Coacar. I. 86. III. 220.*

i) *Parvis* per urinam intelligendae stranguriae istae plurimum suspectae in acutis, privato corporis vitio non

penitus quidem malum; peſſimum autem, ſi propius ſeſe excipientia prodeant. De alvi ſaltem non irritis illis cum tenesmo ſtimulis, qui hic per exiguos ſeceſſus crebrosque intelligendi, ſed cruento profluvio, cum horrore itidem fieri ſolito, ſubjiciendum, *id eſſe quidem malum in aliis acutis, commodum autem phreniticis*, veriſſimo HIPPOCRATIS effato *m*): cui quidem et veſicam haemorrhouſam, teſte experientia, addemus, eodemque praecepto et pleuriticos nonnullos, et rheumatiſmo acuto decumbentes complectemur, quibus ſi alia reſpondeant, utrumque profluvium ſecundi ominis eſſe poteſt *n*). Phrenitis per conſenſum, ſive paraphrenitis vera veterum, eſt ceterarum frequentiſſima, eaque vel primaria, vel ſymptomatica alterius cujusdam acutae. Illi non tantum cerebri et meningum illa vulgo incuſata inflammatio eſt, ſed inprimis permagnae ſanguinis per hepar redeuntis, mutuisque juncta commerciis vaſa abdominis et pelvis obeuntis, turbae et luctamina ſunt, quibus de cauſis hypochondriacos melancholicosque invadit facilius. Complu-

ri-

productae, morboque ipſi debitae, creberrimis locis ab HIPPOCRATE peſſimis ſignis additae.

k) Τὰ ἐν ὀξέσιν ἐμετωδέως ἐλκόμενα, φλαῦρα· *Prorrhet. I. 16. In acutis perpetim vomiturire, malum. Conf. Coac. IV.*

l) *Prognoſt. 9. et aliis locis de alvo tenesmode.*

m) *Prorrhet. I. 1. et multoties alibi.*

n) *De morbis II. 40.* Pejoris ominis eadem urina memoratur *Coacar. V. 37. de morb. II. 54. et de morb. III. 21.* Pleuritides iſtae *ex dorſo morbique dorſales*, ſunt pleuritides ſymptomaticae rheumatiſmi acuti, ut experientiam conſulenti conferentique patebit.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0122
DFG

ribus etiam, in febres pectoris inflammatorias, rheumatismosque pronis, opportunum privatae vasorum eorundem plethorae, sive vulgo dictae constitutioni haemorrhoidariae, corpus esse solet: neque enim imas variasque venae azygi radices, neque illa vasorum pectoris abdominisque commercia jam pluribus consectabor. Attamen hae sunt causae viaeque levaminum, ex his sanguinis profluviis, in his morbis. Ut vero ad algores haemorrhagiarum hujus temporis prodromos redeam, quarum tum communia indicia, tum singulorum locorum, unde sanguis ferri potest, propria, et sparsim ab HIPPOCRATE, et stricte ab AETIO *o*), proposita sunt: ad haec omnia studiose attendendum hic erit, et cuncta sedulo conferenda, praesertim quod ad praecordia attinet, quae hic nihilo secius, ac in abscessibus vomituque, signa praebebunt. Sigillatim carotidum communium insolita cum subsultu micatio, alvum cruentam, verissimo HIPPOCRATIS *p*) praecepto, denunciat. Atque ex memoratu dignissimis ejus de algoribus hujusmodi praesagiis haec sunt *q*): *Ad ventrem palpitationes, cum hypochondriorum tumore sublongo et molesto, haemorrhagiam significant. Inhorrescunt autem hi. Praecordii tensio, cum capitis gravitate et surditate, et lucis r*) *splendidioris ferendae molestia, haemorrha-*

 giae

o) *L. V. c. 45.*

p) *Coac. I. 156.* Dysenteriae nomine, quod et hic occurrit, HIPPOCRATI veniunt omnes fluxus alvi cruenti.

q) *Prorrhet. I. 20. et 21.*

r) Male CORNARIUS, ut alia multa, ita hoc loco τὰ πρὸς αὐγὰς ὀχλέοντα vertit per *ea, quae consequenter divexant.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0123
DFG

giae ex naribus *indicia*. Facile patet, haec ex ore ipsius aegri debere accipi, qui adeo carebit illa phrenitidis symptomaticae indice, surditate, ceterisque malis signis. *Morbi statim turbulenti*, inter initia, *insomnes*, *cum vestigiis sanguinis ex naribus*, *levati sexta die*, *de nocte exacerbati*, *leviusculum sudorem afferentes*, *dum perdurant nihilominus*, *et levia deliria habent*, *sanguinem liberaliter fundunt*. *Num aquosa urina talia significat? Vigiliis infestati*, *cum subitanea anxietate*, *sanguinem fundunt*, *tum alias*, *tum si quid ante profluxerit*. *Num ubi inhorruerunt* s)? Testantur haec febres acutae ordinariae atque erysipelatodes, in corporibus potissimum plethoricis. *Quisquis in horroribus critico modo sudarit*, *postridie vero citra rationem iterum horruerit*, *pervigil haec inter*, *illum arbitror cocta emissurum cum haemorrhagia* t). Referendum hoc est ad omnes acutas ordinarias, ad inflammatorias quasdam, si justis praesertim inter antiphlogistica sanguinis missionibus cautum fuerit, ne ad lethifera signa morbus pervenerit, ad purpuram denique proprie dictam. Harum per sudores febrium crisibus haemorrhagiae sese addere pluries solent, rariores etiam, in puerperis quibusdam per lactiferas mammarum vias, illo plerumque tempore, quo exacerbatio quaedam aut viget aut declinat. Digniſſimum notatu est, quod *sanguinem inter initia largius jusum rigore sisti* dicat HIPPOCRATES u). Id minime pronunciatum

s) *Prorrhet. I. 10. Coac. II. 89.*

t) *Prorrhet. I. 21.* Corruptior idem legitur locus *Coacar. I. 33.* cui irrepsisse vitio librarii credo μὴ et μήτε, pro εἰ et εἴτε, sive clarius, pro ἦν et ἤντε quod Hippocrati frequens est pro ἐὰν, ἐάντε.

u) *Prorrhet. I. 21.*

tum est repugnanter, sed asseritur illustraturque, etsi omine non secundo, exemplis rheumatismi acuti, phrenitidum nonnullarum, pleuritidisve illo genere, cui x) *dolores initio molles sunt, quinta vero vel sexta die exacerbantur*, incidente rigore: febris denique puerperarum lacteae, cohibitis repente lochiis profusioribus in acutam cum purpura transiturae. Nam *ex partu vel abortu, quae cum impetu celeriterque ferebantur multa, suppressa quidem, difficilia: rigor his inimicus est, et alvi turbatio, tum alias, tum si praecordiorum dolor sit* y). Est et hic iste rigor, a quo cessant haemorrhagiae, novae acutae quoddam initium, in puerperis quidem periculosae purpurae; eaque de causa damnare videtur HIPPOCRATES *rigorem post haemorrhagias* z), et *criticis diebus*, per vigorem scilicet et deinde, *perfrigeria valida post haemorrhagias* pronunciat *pessima* a). Plerumque enim aut exhaustae attritaeque jam vires, ferendae isti acutae novae, ex insidiis impetum facienti, pares non sunt: aut diuturna trahere febris incipit. Supra attigi, horrores magis, quam rigores, haemorrhagiarum indices et observari, et ab HIPPOCRATE notari; ut rigores, hoc ipso acutarum tempore, sudorum potius nuncii videantur. Ita in Thaso, *cum rigere coepissent in acutis et praegressis, et recidivis, cessabant haemorrhagiae. Plerique rigebant circa crisin, maxime haemorrhagiam passi nullam: iidem vero etiam de-*

x) Coac. III. 138.

y) Coac. III. 403.

z) Prorrhet. I. 21.

a) Prorrhet. I. 19. Coac. III. 29.

inde, recidiva scilicet febre, *rigebant sudabantque b)*.

XVIII.

Hoc loco reticendum non est venerandi praeceptum Senis, quod rerum usus omnino vindicat studiosior, *quibus in febribus acutis sanguis naribus liberaliter proruperit undecunque, his a morbo refectis alvum fluxam fore c)*. Videmus, haec respondere experientiae, maxime ante annum aetatis quadragesimum *d)*, in acutis tum ordinariis, tum malignis nonnullis: in phrenitide, si profusum illud et salubre cruoris per alvum vesicamve profluvium accesserit, quod supra attigi; nonnunquam denique sub rheumatismo acuto. Sunt etiam puerperarum rara exempla, purpura implicitarum, quas, cum pro lacte cruor mammis fluxisset liberaliter, sub exacerbationibus inde ab incremento febris, lacteus humor sub remissionibus, finito morbo et alvus diutule fluxa, et genitalium rebellior catarrhus afflixit. Quae autem est libris HIPPOCRATICIS observatorum instructissima penus, strictiori saltem oratione propositorum, et plerumque non sine gravi causa universim pronunciatorum: omnino et hoc dignissimum notatu hic loci occurrit *e)*: *Quinto die profusae haemorrhagiae, sexto ri-*

b) Epid. I. 11. 118. et 208.

c) Aph. IV. 27. Coac. I. 227. III. 53.

d) Coac. II. 231. Prognost. 25.

e) Coac. III. 34. Pluries in Hippocraticis occurrit memorabilis haec κοιλίης πονηρίη, male habentia imi ventris viscera notans. *Prorrhet. I. 19. Quibus frequentes haemorrhagiae, his procedente tempore deteriores erunt imi*

rigor, *septimo praeceps algor*; *his imi ventres male firmi sunt*, τετέοισιν αἱ κοιλίαι πονηρέονται. Non inuita experientia haec accipientur de lienosis hepaticisque, generatimque de iis, qui valetudine ex hypochondriis conflictantur, si acute aliquando febrierint, morbo ante inquilino nondum plane obfirmato nimisve diuturno: tum enim narium praesertim haemorrhagiae, et sanguis superioribus generatim prodiens, pessimi ominis sunt, quod compluribus HIPPOCRATIS testimoniis constat, ususque confirmat. Ac hypochondriaci fere sunt, qui aetatem virilem jam ingressi, tum naribus et crebro et copiose sanguinem fundunt, tum aliis iisque tarioribus per superiora viis, ut pharynge, faucibusque posticis, gingivis, larynge etiam asperaque arteria, haemoptyseos quodam simulacro, ne de vomitu cruen-

imi ventres, κοιλίαι πονηρέονται, *nisi urina cocta fuerit*. Dictum hoc illis est, quibus in aetatem virilem usque crebriores haemorrhagiae narium fuerint, imbecilla tandem habituris imi ventris viscera potissimum chylopoea, nisi turbidae et sedimenta multa habentes urinae diu satis prodierint: splenici enim aquosa mingunt. Porro *Coac. VI. 79. Serpigo pruriens ad interfemen et super inguina*, *significat* κοιλίης πονηρίην. *Coac. VI. 55. Stercoracea cum nisu tenesmode ejectio*, *portendit* κοιλίης πονηρίην. Uterque elegantissimus locus, Hippocraticarum observationum admirandos thesauros testatus, pertinet ad lienosos, quibusve ex haemorrhoidum luctaminibus varia valetudo est, quae est haec κοιλίης πονηρίη, ut abunde docet experientia. Ceterum loco supra memorato ὀξέως περιψυχθέντα non designant acutos algores, sed praecipites, vel subitaneos. Ita hoc sensu, quin et pro *crebris* ὀξέα passim leguntur. Conf. *Coac. VI. 56. Prorrhet. I. 2. etc.*

to dicam. Id contingere verosimillimum est, ob sanguinem difficilius per hepar reducem, paulatimque in vasis abdominis et pelvis praeter modum collectum, qui sunt horum vasorum plurimi mutuique commeatus; eademque tandem per vasa capitis thoracisque oborta plenitudine, qua parte minimus reniſus est, exundantem: HIPPOCRATES alibi vocat *ex lumbis recursum ad caput*, ἀναδρομὴν ἐξ ὀσφύος ἐς κεφαλὴν *f*), a qua sanguis copiose erupturus sit. Iidem cum febriunt, et continuas et intermittentes febres erroneas experiri potius solent. Ita vero et hic dies quintus non iste saltem circumscriptus est, sed generatim provectius incrementum febris: sextus de propioribus incrementi et vigoris confiniis intelligendus. Hujus suspectus ille et δύσπνοος rigor decursum ejus acutae nova febre distincturus videbatur: sed interpellat hunc simili modo algor postridianus, non sine metu diuturnioris valetudinis. Conspirat cum eodem loco, lucisque aliquid addit alius *g*): *Si post quartum diem*, ἀπὸ τῆς τετράδος, *sanguinis fluxus fiat, diuturnitatem significat, et alvus erumpet et crurum tumores erunt.* Non intellexerim hic per τετράδα, praeter quartum diem, et octavum et duodecimum, et generatim quaternionum extremos dies; sed quartum inde ab initio: cum sanguinis fluxus circa quartum diem generatim δυσπείτας appellitent HIPPOCRATICA volumina *h*), utque alia atque alia signa respondent, tum praecipitis exitii, tum diuturnitatis indices, experientia teste, es-

f) *Prorrhet. I. 20.*
g) *Coac. III. 433.*
h) *Epid. II. 3. 81. Epid. VI. 40.*

esse velint. Crurum tumores, ut sine quodam vitio viscerum imi ventris, chyli officinam componentium, hepatis potissimum sociique lienis non concipiuntur: ita haec vitia aut augentur aut nascuntur post δύσκριτον istam haemorrhagiam. Nam *i*), *quae intus relinquuntur post crises*, non perfectas scilicet, *recidivos subinde morbos efficiunt. Primo quidem splenis tumores, nisi ad articulos finierint: oritur etiam haemorrhagia, aut hypochondrii dextri intensio, nisi penetrarint urinae*, id est, turbidae, et multa sedimenta habentes *k*), cum *urinarum tenuium in longis erroneisque febribus mictiones, splenicae sint l*). Ac universim, τὰ προκρινόμενα, quae citiore *soluta crisi videntur*, quorsum hae referendae haemorrhagiae, *recidivas faciunt, aut interceptas crises, possuntque fieri pernicioſa m*).

XIX.

Sed praesagiis ex algoribus haemorrhagiae cujusdam nunciis, et hoc jure addendum suo est *n*): *Horrores, lassitudines, capitis gravitates, colli dolores, menstrua erumpere faciunt. Circa crisin contingens ejusmodi quid, cum tussicula rigorem superinducit.* Scilicet menstruorum jamjam instantium isti comites et antesignani sunt: cumque febris quaedam acuta sic prehenderit, ut vigor illius, adeoque et expectandae modo criseos initia inciderint in finem menstruae periodi, rigor ille

i) *Epid. II. 3. 72. VI. 2. 32.*

k) *Epid. VII. 45.*

l) *Coac. V. 77.*

m) *Epid. II. 1. 35.*

n) *Coac. III. 455.*

cum tuſſicula, quae et alioqui imminentium ſatelles menſtruorum eſt, aut illorum affatim fundendorum index erit; aut, ſi pauca ſaltem appareant, et mox ſupprimantur, pediſſequam novam acutam ordietur. De qua cum ſui copiam itidem faciat veriſſimum illud o): *menſtrua apparere initio, malum:* timor eſſe poteſt, ne vel producatur ad finem usque ſequentis periodi, inter communia morbi longioris ſigna, tandem finienda ejus temporis fluxu; vel inflammatoriae more febris, cum malis ſignis vitae finem citius faciat.

XX.

Algorum ex numero, criſeos cujusdam bonae ſpeciem praecedentium, et ille rigor eſt, qui quibusdam in acutis iisque levioribus et ordinariis, circa vigorem, quin et ſub incremento, ejusque et vigoris confiniis, vomitum ſalubrem, multum omnino levaminis allaturum, inter communia vomitus ſigna, ab AETIO et HIPPOCRATE collecta et praeclare tradita p), affore nunciat. Elegans in hanc ſententiam, et ſuapte clarus luce HIPPOCRATICUS locus eſt q): *Quicunque in febre non lethali dixerit, ſibi caput dolore, aut nigri quiddam prae oculis apparere, ſi et huic cardiognus,* ventriculi pylorique dolor gravior, *acceſſerit, ei bilioſus vomitus aderit. Si vero et rigor affuerit, et partes hypochondriis praecordiisque inferiores frigidas habuerit: citius adhuc vomitus aderit. Sin etiam aliquid ederit biberitve ſub hoc tempus, valde ci-*

o) Coac. III. 458. Conf. Prorrhet. I. 17.

p) Lib. V. c. 48.

q) Prognoſt. 25.

cito vomet. Quibus autem horum dolor occoeperit primo die, hi quarto die affliguntur magis quam quinto, ſeptimo vero liberantur. Plerique tamen tertio die dolere incipiunt, maxime vexantur quinto die, liberantur nono aut undecimo. Qui vero quinto die dolere coeperint, et cetera illis contigerint juxta rationem praegreſſorum, his die decimo quarto morbi criſis erit. Fiunt autem haec viris et faeminis, in tertianis maxime: junioribus quidem etiam in his, ſed maxime in febribus plusculum continuis, et genuinis, ſive exquiſitis r) tertianis. Memorabile eſt, ſi excepero *phreniticorum perfrigeria, a quibus nigra vomuntur*, ſcilicet non atra ſaltem quaedam colluvies, ſed coagula cruoris, vaſa ventriculi eluctati s), quae ſupra attigi: rigores potius quam horrores vomituum indices obſervari, atque vel intermittentium rigores, ut graviores ſunt, ita vomitus vehementius affligere. Leguntur in HIPPOCRATICIS *t) ex lumborum dolore quidam ad os ventriculi anterius recurſus, ἀναδρομὰς, ſebriculoſi, horridi, cum vomitu multorum tenuium aquoſorum, cum levibus deliriis, vocis interceptione, vomitu nigrorum*, tandem *lethales*; quae non ſolum ad chronicos eosque inolitos, cumque haec ad ſigna pervenerint, fere cum aſthmate convulſivo *u)* exitiales viſcerum imi ven-

r) Tertiana ἀκριβὴς, Aph. IV. 59. eademque ſemitertiana CELSI L. 3. c. 8. productos in alterum diem paroxyſmos habens.

s) Nigra haec ipſe de coagulis cruoris intellecta cupere videtur HIPP. *Hph. 18. 21. 25.* aliisque locis.

t) Prorrhet. I. 11. Coac. III. 16.

u) Conf. Prorrh. I. 9. 4.

ventris varios morbos, impedito sanguinis per hepar reditui conjunctos, pertinent; sed etiam ad incipientem paraphrenitidem, sive phrenitidem norham, quam TRALLIANUS vocat, praeclareque describit x). Dubium autem omnino est, illosne horrores tribueris sanguini vasis ventriculi exundanti, ut αἱμορῤῥαγιῶν φρινωδέων mentio supra facta est, an vomitibus consecuturis. Ita vero in vomitu cruento horrores erratici, cruoris lente colligendi testes, diutule affligunt, dum dolor gravativus ventriculi nauseaeque vomituum initia faciant, luculento rigore interdum brevi antegresso.

XXI.

Incidunt etiam in decursum variolarum utriusque generis algores quidam contemplatione omnino digni. De horroribus ex dorso, qui primae febris initia faciunt, supra strictim egi. Alii sub ejus finem, cumque emergere incipiunt papularum vestigia, observari in quibusdam aegrotantibus solent, haemorrhagias natium inter communia illarum signa nunciaturi. Saepe vero deinde etiam, cumque pus concepturae papulae sunt, algores praesagio contingere dissimili videmus. Nonnunquam enim, et discretis in variolis, et plusculum confluentibus, bonae saltem indolis futuris, ab eruptione stigmatum, febris plane conquiescit compluribus diebus, ut integritas quaedam esse videatur, quod primus de variolis auctor RHAZES y) praeclare proditum re-

x) *Lib. 1. c. 13.*

y) Περὶ λοιμικῆς, sive de grassante variolarum morbo, λόγῳ ἐξελληνισθέντι ἐκ τῆς τῶν Σύρων διαλέκτου, ad-

reliquit: dum enatae e ſtigmatibus papulae in puſtulas abiturae ſint. Sed hoc ipſo tempore obortus algor, neque raro modicus rigor, isque veſpertinus, initium ſecundae inflammatoriaeque febris facit: quae ne progrediatur in confluentibus ad deliria, hic ſemper ſuſpecta, ſubiturae funeſtae phrenitidis cauſa, ſedulo curandum. Inflammatoriam voco, quod miſſus hoc tempore ſanguis nil, quod vulgo reſorptum creditur, purulenti tabi habet, ſed pleuritico ſimillimus eſt. Prehendit interdum aut horror, aut ſaepe non modicus rigor, cum ſuppuratio in confluentibus viget, alitque aliquid monſtri uterque. Neque enim alter, horror ſcilicet, phrenitidis ſymptomaticae metu caret, cui plerumque comes peripneumonia eſt: alter pleuritidis vel pleuropneumoniae, ſaltemque addentis ſeſe febris inflammatoriae; utique ſi jam ante deliria gliſcere coeperint, aut alia iniqua indicia. Ubi vero ab eruptione ſtigmatum febris plane non conquieverit, ſed primam ſecunda ex algore quodam protinus exceperit, et cum ad ſuppurationis initia circiter morbus proceſſerit, iterum aliquis vel horror inciderit vel rigor; ejusdem uterque ominis erit, ſed multo pejoris, ac plerumque funeſti: maxime ſi ſiniſtra ſigna ex febris modo, puſtularum conditione, tumore faciei membrorumque fine ratione imminuto, haeſitante in adultis ptyaliſmo, dyſuria, tenesmo, ſpontaneis cruoris veſtigiis ex naribus, ſputis, alvo, veſica, tum e cardialgia, torminibus, nauſea, dolore pectoris, reſpiratione peripneumonica, anxia inquiete, quam

adjecto editioni graecae TRALLIANI ex off. Rob. Steph. Lutet. 1548. c. 15.

quam ἀλυσμὸν Graecus metaphraſtes RHAZIS vocat, et ipſe Arabum optimus peſſimis ſignis addit z), deliriis, ſoporibus, et reliqua denique acutis communia omnibus mala indicia ſeſe obtulerint. Solet viciſſim vel in confluentibus algor aliquis, omnia inter, ſecundam expectationem conciliantia, exacerbationem quandam antecedere, quo tempore jam inſtat puſtulis in facie reſiccatio, in reliquis corporis partibus ruptio potius, inque eſcharas transmutatio: is vero non infelici omine criſeos bonae initia, et ſudori analogum quid nunciat. Nam et puſtularum qua intervallis integra cutis eſt, halituoſus mador cum ejus exacerbationis fine obſervatur, et cocta eſſe urina incipit, et profundus ſaepe ſomnus obrepit. Ceterum finito variolarum decurſu, diſcretas potiſſimum, non infrequenter abſceſſus conſequuntur extrinſecus varii, alii quidem nonnunquam ex aliis, inter communia illis ſigna, et in his algorem rigoremve, ex quo febris inflammationis comes incipit. Non raro is abſceſſus alicubi viſcerum eodem concipitur modo, in pulmonibus maxime, comite febre lenta, utique, ſi φθινώδες ἔμφυτον, quod HIPPOCRATES appellat, ſive ſi phthiſicus tradux, aut inde ſaltem a natalibus in corpore opportunitas fuerit. Neque deſunt denique pleuritidis exempla, a finito variolarum omni ſtadio ſubire viſae, neque febris intermittentis, potiſſimum tertianae.

XXII.

Reſtat, ut addam de algoribus, ſub vigorem febris acutae, perque eundem, quin poſtea, prae-

z) Lib. jam appellato, c. 15.

praesagio sese efferentibus malo, cum aut praecipitaturus morbus est, aut tractaturus. Duplices hi fere sunt: alii nempe criticos, qui videri poterant, consecuti algores, intercipiunt spem incolumitatis aut longa febre, aut pedissequa acuta; alii parum aequam vitae vim brevi testantur succubituram. Ad prioris algores classis haec referenda HIPPOCRATICA: *Horror ex sudore, non bonum a)*. Id etsi locum in initiis incrementisque nihilo secius habeat: jure tamen suo et hoc sibi tempus vindicat. Horror scilicet ex sudore, qui criticus haberi poterat, novae cujusdam initium acutae est, et fortassis purpurae. *Criticis diebus*, omnibus scilicet a vigore declinationi tribuendis, *algores fortes post haemorrhagias, pessimi b)*. Universim alibi pronunciat *ex haemorrhagia rigores malos c)*. Scilicet algores hi aut longam valetudinem, aut abscessus, aut acutam subeuntem aliam, et celerius ex hac exitium, ut sua singulis respondent signa, portendere possunt. *Ex alvo liquida cum sudore algor, malum d)*. Commune hoc est compluribus chronicis morbis, omnibus item temporibus febrium acutarum, inque his exanthematicarum: sed referendum itidem ad declinationes, et diarrhoeam alterius crisеos comitem, fereque diuturnitatis indicium esse solet. De algoribus classis alterius finistris haec videntur notatu digna: *Criticis diebus anxietates, ἀλυσμοὶ, cum algoribus sine sudore, et omnes qui modo non critico, ἀκρίτως, agent sine sudore, malum.*

a) *Aph. VII. 4.*

b) *Prorrhet. I. 19. Coac. III. 29.*

c) *Coac. I. 60. Prorrh. I. 7.*

d) *Prorrhet. I. 21.*

lum. Et qui super haec rigent, vomunt sincera sive non mixta, nauseosi, tremuli in febre, malum e). Complures acutae, sub incrementi et vigoris confiniis ipsoque rigore, cum abiturae in mortem sunt, fidem horum faciunt, maxime phrenitides. *Ex rigoribus qui parvis sudoribus perfrigescunt, malum f).* Id praeter acutarum initia et hic locum habet, tumque pro comitum discrimine signorum alias testari diuturnitatem potest, alias recidivam febrem, alias praeceps exitium. Utriusque temporis et haec sunt, propinquae hic fere mortis indicia, et alterum quidem purpurae febrique miliari perfrequens g): *Algores post rigorem, non recalescentes, mali. Ex algore sudores non recalescentes*, mali. Per incrementi vigorisque item confinia hoc sese certissimum salutis conclamatae indicium offert *h*): *Qui cum strepitu bibunt, et cum murmure quodam sicciora deglutiunt, et qui deglutiunt difficulter spiritu tussiente*, anhelitu scilicet tussique, intercipiente deglutitionem, eamque praesertim jam delirantibus rapidiorem, *pernicioso habent in acutis perfrigeratis.* Acutae perfrigeratae sunt, quae processerunt ad algores ἀυρίτας sub vigorem. Imminentium extremorum haec sunt: *Rigor si incidat febre non intermittente, aegro jam debili, lethalis i). Rigor in continua, corpore jam debili, lethalis k).* Ad hos rigores referendae videntur καταψύξιες μετὰ σκληρυσ-

e) Coac. VI, 100.

f) Coac. I, 63. Prorrhet. I, 18.

g) Prorrhet. I, 8.

h) Coac. I. 92.

i) Aph. 4. 46.

k) Coac. I, 15.

ρυσμῶ, *perfrigerationes cum duritie*, quas alibi *signa lethalia* appellat *l*), quasve in moribundis nonnunquam observare licet. Ἀσθενὴς autem hic ille est, qui versatur sub ipso vigore acutae suae, exhaustusque jam, atque inter mala signa, a morte proximus est. Praecipitat enim illa aut sub algoribus istis, peripneumonico apoplecticove modo, aut iisdem declinare in teporem quendam quasi postliminio visis, obrepit cum gliscente paulatim et incrementa capiente in spiritu ducendo strepitu, sanguinis in arteria pulmonali subsistentis indice, corde post tremulas interceptasque subinde micationes a suprema diastole oppresso.

XXIII.

Perfunctus recensendis ad febrium acutarum tempora algoribus, prospicio partium quarundam corporis privatos variis ominibus. Potissimi sunt, *pedum frigus*, *exacerbationum febris plerumque signum m*); malum in acutis cum omnibus, tum maxime in pleuritide et paraphrenitide *frigus frontis*, *manuum ac pedum*, *alvo et lateribus valde calidis n*); *sudores frigidi circa frontem*, *faciem*, *caput*, *cervicem*, *cum febre acuta* graviori *mortis indices*, *cum mitiore*, *diuturnitatis o*); signa denique instantis mortis, *labia resolata*, *pendentia*, *frigida*, *albicantia p*); *gelidus naso et ore spiritus q*); vi-

l) *Prorrhet. 8. Coacar. I. 4.*

m) *de Victu acut. 42. Epid. III. 3. 59.*

n) *Prognost. VIII. 11. XV. 8. Coac. III. 345.*

o) *Prognost. V.*

p) *Prognost. III.*

q) *Prognost. IV.*

viciſſim per cutem calidus vapor, ubi prius frigidum ſpiritum nares emiſerint r). Sed, iſta ſaltem attigiſſe, venia dabitur, hunc meo limitem commentario ſtatuenti.

IV.

Dr. JONAE SIDRÉN

reſp.

GUSTAPH. SUEDELIO.

Diſſert.

De criſibus febrium perfectis.

Upſaliae, 1774.

De *Criſibus perfectis.*

Ἃ δεῖ ἄγειν, ὅκη ἂν μάλιϛα ῥέπῃ, ταύτῃ ἄγειν, διὰ τῶν ξυμφερόντων χορίων. Hippocr. Aph. Sect. I. 21.

Quamquam, omnium febrium inprimis autem acutarum curationem e naturae viribus, ejusque concinnis motibus pendere, fatendum eſt; attamen, niſi arte eadem dirigatur, morte plurimas terminari febres, triſtis comprobat experientia,

r) *Epid.* 31. 4. 31.

tia. Medico enim fomitem morbi potius excitante, quam compescente, neque diaeta nec medicamentis salutaria naturae molimina adjuvante, fieri profecto non potest, quin victor evadat morbus, et aeger fato cedat; ideoque scire multum interest, quando, vel quibus diebus quibusque potissimum viis, secundum indolem febris, aut ipsa natura morbos sanet; aut ars vim morbi, causam et effectum ejus opportune frangere et expellere debeat. Quum igitur animo constitui, pauca de hac evacuatione, quam crisin vocant, publicae luci committere, in re tam ardua mitiorem mihi polliceor censuram, praesertim cum plura sint intelligenda, quam pingi queant, et materies intra arctos opellae hujus indolis limites vix cogi possit.

§. 1.

Per *crisin* ἀπὸ τῦ κρίνεσθαι, latinis *judicium* dictum, Hippocrates qualemcunque in quovis morbo mutationem, vel excretionem intellexit; sic partum, ossis ex ulcere secessum, diarrhoeam in hydrope et ictero, sudorem in apoplexia etc. sub crisi etiam comprehendit; *Galenus*, autem eandem morbi subitam esse mutationem, sive in meliorem sive deteriorem statum, autumavit, dummodo natura per evidentes excretiones, vel depositiones humorum in certa quaedam corporis loca sese liberaret; quae quidem non in principio, sed in statu morbi, vel saltem in augmento ejusdem contingerent. Perturbationes vero criticas nominavit vehementissima illa symptomata, quae functiones fere omnes infestant, quaeque istam mutationem subinde vel antecede-

 rent,

rent *a*), vel etiam comitarentur. Sunt vero ea graviſſimi capitis dolores, vertigines, delitia, ſomni profundiores, oculorum rubor et caligo, falſique iis objecti ſplendores, vertigines, aurium ſonitus, ſurditas, lacrimae praeter voluntatem, inferioris labii, quin totius corporis tremor, ſubita ſpirandi difficultas, praecordiorum tenſio, mentis turbationes, anxietas, jactationes, aeſtus intolerabilis *b*). Haec autem ſymptomata ex cauſis morbidis, ſummo vigore agentibus, nec non vaſis, ſummis viribus contra renitentibus, pugnam quaſi naturam inter et morbum conſtituerent.

Quidquid itaque valeat natura ſibi relicta, ex fideli obſervatione effectuum *Hippocrates* docuit, nullis fere medicamentis uſus; et, ſi hoc neſciremus, medicamentorum vires nunquam apparerent. Sed ut nulla eſt tam ridicula opinio, quae auctorem non habuerit philoſophum; ita plures inventi ſunt, gloriantes, ſeſe morbos ineuntes ſuffocare potuiſſe, ideoque nullam expectari, vel optari debere criſin. Joh. Baptiſta van Hellmont, priori ſaeculo famigeratus, dixit: „*Bonus medicus negligere criſes debet, quin anticipare; nam natura criſin non facit, niſi dum ſola totum opus bajulat ſtatis diebus. Verus ergo medicus ante criſin morbum ſuperare debet, ideoque nec criſin exſpectat, nec optat*“ *c*). Inter recentiores, eandem ſententiam amplectentes, Sylvius de le Boë eadem ob-

a) Quibus criſis fit, illis nox praecedens acceſſionem moleſta. Hippocr. Aph. 13.

b) Glass Comment. de febribus p. 12. Galenus de criſibus Lib. III. Cap. I.

c) De febribus. Cap. XI.

oberravit chorda, ut facile quis putaret, eos caput, ut alembicum, corpus humanum, ut cucurbitam, et ventriculum ut crucibulum considerasse; sed auctores hi, chemica insomnia venditantes, una cum assectis suam in medicina auctoritatem jam diu perdidere, postquam Baglivus, Sydenhamus, van Swieten, de Haen, speciosas exosi hypotheses, genuinam Hippocratis febribus medendi methodum rursus introduxerunt.

Est quidem verum, apud nos rariores, quam in Graecia, crises observari, cujus rationem de Haen optime dedit, scilicet „*venaesectiones crebriores, medicamenta et plura et efficaciora esse in causa*“ *d*); attamen numerosis constat exemplis, crises regulares etiam obtingere in frigidioribus nostris regionibus, quas medicamentis intempestivis, ut venaesectionibus, purgantibus, emeticis, opiatis, turbare nefas est.

§. 2.

Ut vero evacuationes criticae morbi causas auferre valeant, ars in initio febris cujusvis, naturam adjuvare debet attenuando, solvendo, praeparando, sed natura ipsa, materiae morbidae jam aptatae, vel, secundum antiquos, concoctae *e*)

d) Ratio medendi Part. I. pag. 50. Haec addi possunt causae, nempe coelum frigidius, intemperantia in victu, et neglectum observandi studium. Gaubii instit. Pathol. pag. 510. Conf. Cleghorn observ. on the epidemical diseases in Minorca.

e) Coctio vocatur subactio materiae morbidae, et redactio ad illum statum mobilitatis per vim vitalem, ut per organa excretoria queat ejici. Tralles pag. 96. Sect. 2da.

locum indicabit, ubi hostem est ejectura. An autem ipsa febris ex naturae avtocratia, i. e. ex animo rationali, vel ex legibus mere mechanicis dependeat, disputatum fuit. Franciscus Home mediam incessit viam, inquiens: „*In hac disputatione, ut in omnibus fere aliis, media quodammodo inter diversas sententias tenenda est opinio: nam animus, quamvis non conscius, motum vasorum necessario accelerat; cetera omnia motus auctus perficit*" *f*). Sed tantum abest, ut sapientis animae consilio hic quidquam tribuere queamus, ut potius certum sit, nos saepe in febris initio naturam corrigere coactos esse, cum alias naturae vires superaret, vel periculosior foret; sic etiam Boerhaave in angina inflammatoria, in peripneumonia vel pleuritide citam, largam et repetitam sanguinis missionem praecepit. Ejusdem sententiae Sydenhamus fuit, dum, de pleuritide agens, jure existimat, semper in summo discrimine versari eos, qui morbum hunc expectorationi eliminandum committerent, cum e diverso, mediante venaesectione, humorum materia morbida penes medicum sit, et orificium a phlebotomo incisum, tracheae vices subire cogatur *g*).

§. 3.

Licet autem venam secemus, primarum viarum evacuantia in morbi initio porrigamus, si tamen infidi naturae ministri non sumus, scilicet ultra modum deprimendo febris impetum, morborum acutorum exitus vel sanitate vel alio morbo terminatur: prior bonam atque perfectam, poste-

f) *Princ. Med. Sect. 9. P. 11.*

g) SYDENHAM. Tom. I. Sect. 6. Cap. 3.

sterior imperfectam constituit crisin. Quamquam autem subacta cruditas morbi non tempore, sed conditione metienda est, experientia tamen de Haenii, Hippocratis doctrinam stabiliendo, demonstrat, certos dies utplurimum criticos esse, adeoque et in praesagiis et in curatione praecipua attentione dignos. Sunt vero hi 3. 4. 5. 7. 9. 11. 14. 17. 20. 40. *h*) quique praesertim in morbis pectoris inflammatoriis et exanthematicis variis apud nos observantur. Hanc dierum seriem, vel materiae morbidae mutationes, suis definiri gradibus ac stadiis, ex analogia quoque probabile redditur: *Baglivus*, fermentationem certis absolvi temporibus videns, quaestionem movit: cur ni etiam sanguinis mutationes sua haberent stadia? Valere quoque idem ratiocinium ex stadiis inflammationum externarum, ex fructuum maturatione, ovorum incubatu, catameniorum periodis, ex definito febrium intermittentium recursu videtur, in quibus omnibus certa temporum intervalla observantur *i*). Experientissimus *Pringle*, qui ceterum diebus criticis minime favere videtur, febrem tamen malignam carceralem describens, ob-

h) Ratio medendi pars I. pag. 48.

i) Notissima quoque est dierum ratio in variolis; *si enim miasma varioloſum versus corporis ambitum deponitur critica metastasi 4to die, sedatur febris, symptomata non tantum minuuntur, sed evanescunt; ubi vero nimo febris impetu, vel calido regimine, sudoriferis calidis datis, stragulorum pondere etc. ante hoc tempus variolae prodeunt, solent esse longe numerosiores, pejoris indolis, neque symptomata multum mitigantur. Si autem tardius erumpunt ob fractas aegri vires, et impetuosissimam febrim, critica morbosi separatio fieri nequit, et fere semper certa imminet pernicies.* v. SWIETEN.

servationem affert sequentibus: Dr. *Clephane observed, that the most sensible change to the better was generally upon the 17th day, from the time the patient found himself so ill as to keep his bed. The common period of the fever is the more diligently to be attended to, as wi seldom have a crisis before that time k).* Praeterea monet, cardiaca, vinosa et diaphoretica nunquam, atque non obstante aegri debilitate summa, ante diem XV vel XVItum esse porrigenda, cum morbi solutio non citius, optimis licet remediis adhibitis, vel rarissime insequi soleat *l)*. Hisce igitur omnibus collatis ratio aliqua nobis est existimandi, observationem dierum criticorum, licet non aeque necessariam in malignis febribus, ac observatio stadiorum, tamen utilissimam esse.

§. 4.

Nunc autem viae, quibus natura perfectam materiae morbidae expulsionem moliri suevit, indicandae sunt, ut inde eluceseat, quibus modis medicus illam molientem adjuvare potest. Hae sunt praeprimis: cutis pori et renum tubuli; nonnunquam etiam perfectas febrium solutiones efficiunt: sputa, diarrhoeae, vomitus et varia sanguinis profluvia, quae omnia breviter et sigillatim perpendere jam nobis incumbit. Sed antea nomine tantum memorare oportuit *Franc. Solani de Luque* et Doct. *Nihellii* praesagia evacuationum criticarum ex pulsu undoso et dicroto desumta, tametsi eadem hic propius examinare, variasque de *Haenii*, *Bordei* et *d'Aimeus* controversias dirime-

k) Diseases of the Army. Edit. 6ta pag. 297.

l) Pag. 315.

mere atque revellere, res non minus esset difficilioris negotii, quam ab instituto nostro longe aliena. Qui idcirco fusiorem hujus rei cognitionem optat, eum ablegatum volumus ad *Haenii ration. medendi* partem XII. pag. 88, et ad Tom. IV. *Dictionnaire encyclopedique* pag. 482.

§. 5.

Per sudores in febribus acutis optimam fieri crisin, ab Hippocratis temporibus notum fuit; praedictio autem eorum desumenda est, ex vario rigore, urina parca, et aluo stricta cum absentia signorum haemorhagiae et vomitus, levi horripilatione, cuti laxa et madida; criticae perturbationes simul adesse debent, vel saltem die critico sese monstrabunt; instantes proxime praeeunt, pulsus *Galeno* undosi, *Solano* incidui dicti, dum sanguis, undarum in modum, pulsus successivos mediante arteriarum systole efficit: posteriori scilicet ictu praecedenti fortiore. Salutares esse sudores judicamus, quando non partiales, sed de toto manant corpore, placidus oboritur somnus, aegrum reficiens, cum manifestis coctionis in lotio indiciis: utpote quando urina, quae dum friguit, nubeculas primum, sedimentum dein albidum, vel subrubrum deponit. Pulsus mollior etiam sentitur, et symptomata omnia mitigantur. Facillime a sudoribus levatoriis post exacerbationes febriles sese insinuantibus distinguuntur critici sudores, nempe defectu signorum coctionis, licet utrique per plures plerumque durant dies, mitissima ephemera excepta. Sed quam accurate haec observari merentur signa, vel ex eo constat, quod in febre acuta sudor, tertio die pro-

fluens, criticus esse potest, dum in alia febre pariter acuta, quae tamen causam pertinaciorem habet, tertio die profluens sudor symptomaticus fit, et noxius *m*). Retulit Jll. de *Haen n*) ex *Nihellii* libro historiam, quam meminisse juvat, quaeque pondus nostrae addit sententiae: *aeger quidam*, inquit Nihell, *febre acuta laborans, eodem, quo leve purgans sumserat, die hypercatharsi moritur. Ille, qui praescripserat, producit formulam, et pro sua justificatione medicamenti lenitatem allegat, quod adeo blandum videbatur medicis, quos ea occasione convenerat, ut ipsum ab omni mortis imputatione liberum declararent. Doctor Radcliffe, cujus ea de re judicium quaerebatur, post naturae symptomatumque febrilium examen, cathartici revera lenitatem agnoscit; sed proprio sibi emphatico stylo pronunciat: fuisse intempestivum, impeditam inde crisin, adeoque occisum aegrum.* Addit de Haen: *Hippocratice doctus, Hippocratice medicatus pronunciare aliam sententiam non potuit Medicus.*

§. 6.

Quoniam sanguinis sales, olea atque terrestres partes per auctum motum febrilem acriora, et magis volatilia reddita, urinae abluere debent, simulque notum est, pallidum, subflavum, parvaque quantitate redditum lotium in febribus pessimi ominis esse, ad hanc excretionem medicum attendere oportet, quae, quamvis non semper indubitatum subacti morbi praebeat signum, ut *Theophrastus Paracelsus* cum vulgo credidit, subinde tamen morbi genium haud obscure prodit. Plu-

m) Van Swieten Tom. II do pag. 364.

n) Ratio medendi P. XII. pag. 202.

Pluries laudatus de Haen praecisum tempus, horamque definitam, qua in urinis sedimentum maxime criticum post earum mictum conspicuum fieri debeat, non potuit definire o); comitatur vero hanc depositionem saepe sudor parcior, ideoque, si ex urinis aliqua demum crisis oboriatur, neminem terrere oportet minuta haec evacuatio, siquidem ex structura vasorum cutaneorum utplurimum dependet; peculiaris autem crisεos per urinas futurae certas notas nemo tradere potuit, nisi simul diarrhoeam levatoriam aliamve evacuationem comitem habuerit, quoniam experientia comprobatum est, eas utplurimum imperfectum relinquere judicium, ut pro coctionis signo in aliis crisibus potius habendae sint, quam ipsae perfectam constituerent crisin. Sedimentum, quod circa initia febrium in urinis conspicitur, semper fere fallax est signum, et morbi solutionem minime denotat; interdum, ceteris signis bonis, licet urinae haud coctae procedant, non solum non magno in periculo versatur aeger, sed bona salutis spes esse potest. De Haen loco citato memorat urinas bonas, cum pravis ceteris signis, magnum portendisse discrimen; quod quidem aliter esse non potest, quoniam lotium sani hominis mirum in modum variat: id quod Hippocrates dudum animadvertit, et quotidiana confirmat experientia. Si vero crisεos nomen urina meretur, tum turbetur et mox subalbidum vel rubellum sedimentum deponat.

§. 7.

Peripneumoniae, pleuritidi, et pleuropneumoniae propria est crisis per sputa, si resolutio per

o) Rat. med. P. I. pag. 55.

per sudores, eaque maxime optabilis, obtineri nequeat, quando, inter alias conditiones, canales vix meabiles, et materia obstruens compactior impediunt, ne causa morbi materialis mobilis reddi, et evacuatione insensibili e corpore eliminari possit. Si igitur in pectoris inflammationibus ejusmodi evacuatio non observata fuerit, atque interea symptomata morbi cum impetu maneant, novimus, materiam morbidam pulmones adgredi, et suppurationem ancipiti eventu excitare. Febres autem sputis feliciter solutas fieri, sudores et urinae hypostaticae iisdem sese adjungant: sputa, quae auctoribus cocta audiunt, spissiora, mollis tamen, et pinguis quasi consistentiae, ut pus referant, et facile et copiose ejiciantur. Prodeant vero haec, die critico, quoque protractior vel vehementior praecesserit morbus, eo magis ad puris indolem accedunt. Ex symptomaticis sputis, tempore, consistentia, notabili morbi decremento discernuntur; de purulentis autem imperfectam insequentibus crisin nunc nobis non sermo est; sed denuo observamus, crisin per sputa his in morbis vix esse necessariam, nisi ante morbum serosa fuerit ad pulmones humorum congestio.

§. 8.

Remittentes febres, quae autumno invadunt, eaeque biliosae, vel putridae sic dictae, nec non exanthematicae cum petechiis atque malignae, cum fomitem morbi in ventriculo vel rubro intestinali delitescentem habeant, diarrhoea saepe, nonnunquam vero vomitu judicari, observatum est. Salutares has evacuationes praesagiunt hor-

ro-

rores, laſſitudines, anxietates, lingua ſordibus obducta, hypochondria tenſa, inteſtinorum murmur, quae omnia ſymptomata poſt diarrhoeam ceſſare neceſſe eſt, ſi perfectam conſtituat criſin. Galenus vero ſe obſervaſſe tradit, admodum manca, atque incerta eſſe inſtantis diarrhoeae criticae ſigna *p*). Pulſum intermittentem indubitatum eſſe ſignum Solano exiſtimat, addiditque pro varia hujus intermiſſionis duratione majorem vel minorem materiae excernendae copiam, quod ut relatu dignum Jll. v. Swieten attulit in Tom. IIdo Commentariorum pag. 89. Hoc autem ejus aſſertum, certa nondum firmatum eſt experientia, ſi vero non alia certioraque darentur ſigna, attendiſſe ſufficiat, ſi vomitum febrilem, vel citam in febribus alvum, ſubitum aegri levamen ſubſequatur, et tanto magis ſalutifera eſſet evacuatio, quo pluribus criſeos ſignis, praeſertim vero urinis hypoſtaticis die critico comitaretur. Has vero criſes rariores eſſe putamus, ubi remedia in initio febrium evacuantia juſto adhibita fuerint.

§. 9.

Sanguinis per varias vias fluxum, in junioribus praeprimis, vel plethoricis, ob neglectam venaeſectionem, criſin conſtituere frequenter apud veteres, rarius noſtro aevo occurrit; inprimis vero ſanguinis e naribus cum impetu eruptio morbum ſubito ſolvens, quondam maxime celebrata fuit, *q*) atque ex cervicis dolore, temporum caligine tenebricoſa, invitis lacrimis, faciei ru-

p) De criſibus ad finem Libr. III.

q) Phrenitidem haemorrhagia narium judicatam fuiſſe, memuit GALENUS de criſibus libr. III. cap. 3.

rubore, praecordiorum constrictione sine doloris sensu, praedicta. Quantum autem naturae in morbis sanandis salutaria molimina praeferenda sunt iis, quae per artem tentantur, optime ex historia, quam Bennet in Theatro Tabidorum, Exercit. V. pag. 14 attulit, patebit. *Vir periculosissima laborans angina, quae non tantum deglutitionem, sed respirationem intercipere minitabatur, quamvis venae et in brachiis, et in talis sectae fuere, nuchae et scapulis scarificationes adhibitae, enemata aliaque plura incassum applicata, copiosissima demum narium haemorrhagia sponte erumpente convaluit.* Ut autem pro critica haberi possit, non tertio vel quarto die, sed serius contingere, nec non in plerisque febribus sudoribus sese adjungere oportet. Trillerus autem observavit, pleuriticos quoque servari, si, neglecta sanguinis missione, sanguis purpureus, vel floridus intra diem primum atque quintum affatim de naribus proflueret *r*). Ab ejusmodi sanguinis evacuatione per vasa haemorrhoidalia pleuritidem solutam fuisse, loco citato etiam notavit. Id vero haud absonum videtur, cum Galenus, multos a suppressis haemorrhoidibus pleuritide correptos se vidisse, testatur *s*). Inter crises admodum infrequentes haec jure numerari potest, dum Jll. v. Swieten, ne unicum quidem pleuriticum se unquam vidisse, adserit, cui morbi solutio per haemorrhoidalem evacuationem contingit *t*). Ingenue quoque fatemur, nos semper fere hanc crisin suspectam, vel ancipitem habere, atque haemorrhagias quascunque, hanc ve-

r) De pleuritide pag. 7.

s) Comment. III. in libr. HIPPOCR.

t) Comment. in aph. BOERH. T. III. pag. 24.

vero inprimis periculi pleniſſimam eſſe, quemadmodum haud raro ita vitiatus ſanguis eſſe ſolet, ut idoneam humorum ſeparationem reſpuere videatur. Si quando demum ejus locus eſt, ea praecipue ex tractione, gravitate, tenſione moleſta per infimum dorſum ad os ſacrum, circa diem criticum cum tenſione abdominis, dolore colico, cardialgia, tenesmis et pruritu ani eſt praeſagienda. Criſis per menſtruum profluvium in acutis futura, ſi alia ſigna non adſint, ſequentia morbi ſolutionem praenunciant. Si conſuetum tempus periodicae evacuationis inſtat, ſi motus graves atque tenſi circa lumbos ac inguina in ſummis femineis atque oſſe ſacro adſunt prope decretorium diem, maxime ſeptimum, quibus omnibus moderata extremitatum horripilatio ſeſe adſociat.

§. 10.

Perſpectis itaque viis, per quas natura ſponte ſua vergere, atque criſin perfectam moliri utplurimum ſolet, reſtat jam, ut, quod artis eſt, ſubſidia ea, quae vias expediant, vel lubricant, breviter recenſeamus, quibus vero haec praecedat cautela, quod medicus ſciat, ſe naturae miniſtrum, non magiſtrum eſſe, ideoque conamina ejus ſublevare, et fractas aegri vires ſuſtentare debere. Ideoque critico ſudori maxime convenit crebra potatio, eorum vero praecipue, quae blandam atque ſaponaceam virtutem habent. Egelida ea, vel calori proxima eſſe debent, utpote tum ſudori ciendo maxime congrua. Exhauſtas vero corporis vires vinum reficiat generoſum unicum et divinum fere ſtimulans, huic uſui accommodatum. Subito ſi ceſſet ſudor cri-

ti-

ticus, vel aegre erumpat, lenia camphorata, vel, si mavis, salia volatilia, mixturis excepta, optimum praebent auxilium. Mixturam quoque, quam Diatrion Pharmacopoea nostra nominat, egregio in febribus malignis usu se comprobavit, quippe sanguinis aestum, acore suo temperans, sudorem blande elicit. *Urinam* vero *criticam* cortex peruvianus in febribus intermittentibus tempestive datus, solida roborando, fluidorum putredinem arcendo, optime promovet: ejus vero insignem virtutem experientia quotidie confirmat, et jamdiu innotuit: maxime tamen memorabile exemplum videsis apud Torti Therap. Special. L. IV. C. 2. p. 291. *Sputa* tractu difficiliora, et tenaciora, kermes minerale et scilla, parca manu, sed crebro data, potatio frequens subcalida et temperatus calor prae ceteris optime dissolvunt, et expectorationem promovent. In *vomitu et diarrhoea* viribus aegri prospiciendum est: hae evacuationes si nimiae essent, fomentatio ex foliis menth. crispae, et spec. pro cucupha, vino incocta vel cataplasma theriacale, aut linimentum ex ol. expresso nuc. moschatae, oleo destillato menthae, externe inserviunt; *haemorrhagiam narium*, si nimia foret, turundae ex agarico vel linteo carpto, aceto aut solutione aluminis imbutae, in nares intrusae, optime sistunt; nec non si sanguinis nimia simul adsit dissolutio, acida mineralia, justa dosi porrecta, felicissimo successu his associantur: fomenta itidem calida super abdomen imposita, spasmos solvendo sanguinem deorsum alliciunt. *Varicibus* vero *ani*, grumoso turgidis cruore, hirudines recte opitulantur. *Catamenia*, si morbum solvere valeant, artis juvamen

men vix postulant. Ceterum in *sanguinis profluviis*, utpote difficulter criticis, nil temere moliendum esse putamus, quoniam non tam facile his promovendo opitulatur, quam, ubi aegrum viribus orbatum reddunt, stipticis impediri possint.

V.

Dr. HENRIC. FRIDER. DELII

resp.

CHRIST. AUGUST. WENNDRICH.

Differt.

De scrobiculo cordis signo.

Erlangae, 1766.

De
Scrobiculo cordis signo.

§. 1.

Fontes signorum, unde morborum eorumque causarum, et fiendi modi, et eventuum, cognitionem, haurire potest medicus, et e quibus conclusiones ad curandos morbos derivat, varii omnino sunt. Examen aegroti, secundum res naturales, non naturales et praeternaturales,

provide institutum, phaenomena cum actionibus mutatis rite animadversa, et inter se, una cum signis anamnesticis, comparata, exploratio effectuum functionum vitalium, naturalium, et animalium, quae fit sensuum ope, quorsum pulsus, respiratio, toni alterationes, dolores, mentis constantia vel vacillatio, sanguis urina, sudor, sputa, *cet.* pertinent, innumera suppeditant, e quibus diagnosin morborum, et prognosin, immo et indicationes, formare medicus potest, praecipue si simul ad conspecta in morbis symptomata, ad eorum mutationes, et epigenomena, ad metaschematismos, ad parium consensum, respicere velit, quae cuncta attentam observationem, et subactum judicium, requirunt.

§. 2.

Ex morborum historiis, et symptomatum collectione, e notitia invasionis, incrementi, status, declinationis, crisium, *cet.* formari solet *morbi nomen*, ut itaque hoc oriatur, si phaenomena quadrant. Sed a nomine, hodie praesertim adeo mutabili, ipse differt morbus, qui pathematum causam proximam involvit, et vel solidarum vel fluidarum partium, vel utrarumque, eamque admodum variam, laesionem, supponit, in qua emenda vel tollenda adlaborare debet medicus. Status autem quisque laesionis talis sese per sua signa prodit, ita ut ex his collectis ad hunc statum, ut ex phaenomenis, collective sumtis, ad morbi nomen, concludere possimus. Dantur quoque signa, quae propria sunt morbo, ut punctiones stabiles, cum febre, in sic dicta pleuritide, flavus color in ictero, rubor,

bor, tumor, calor, dolor in inflammatione, tactus a cathetere in calculo, *cet.* Haec pathognomonica audiunt.

§. 3.

Inter tot signorum fontes autem is praesertim eminet, quando e *loco dolente* aliquid judicandum est. Saepiuscule enim hunc, prae aliis, locum accusare solent aegroti, quem pro morbi sede habent. Multum quidem abest, ut ibi semper sit morbi sedes, ubi eam esse aegroti putant, ut potius maxime opus sit medico genuino discernere, an pars quaedam per se, vel per consensum varium, patiatur: et confusas saepe pathematum et causarum occasionalium narrationes in ordinem quendam redigere, causas et nexum evolvere, unde ingenui et docti medici, et vulgaris clinici, emergit differentia. Sed oportet tamen ad dolentem locum, ad ejus a statu naturali deflexionem, attendere, si praesertim mutatio quaedam externe in oculos incurrit. Dantur itaque et signa, ex habitu externo desumta. Tacemus externos morbos, vulnera, luxationes, fracturas, tumores aliosque organicos morbos, et eos, qui a mala conformatione pendent. Absque autem violentia externa, in parte quadam corporis humani externa mutationes observantur, e quibus ad causam, vel effectum, morbi concludere fas est. *Facies* e. g. saepiuscule morborum index est *a*), cum ejusdem mutatio destructionem humorum, consumtionem humorum, irritationem fibrarum, *cet.* notare possit, et *frons*

a) Lommius observ. medic. pag. 274. Stahl de facie morborum indice.

animi janua quoque sit, et uti oculi valent, ita totum corpus *b*). Quantae est considerationis, et diversi ominis, *labiorum efflorescentia c*)! Quantopere *verticem* dolore conqueruntur, ad clavi infixi, vel glaciei frusti ibi haerentis, speciem! quantopere *dorsi dolorem* accusant *d*), et sensum dolorificum circa *umbilicum*, circa *anum*, circa *vesicae collum*! Certe maxime in his necessaria est medico scientia anatomica, et situs et connexio partium, praecipue autem comparatio functionis laesae et sanae *e*), ut quoque interdum possit ex his determinari locus, in quem metastasis quaedam cadat *f*). Sed ea uberius in praesenti dilucidanda non sunt. Subsistamus tantum circa nobilem quandam particulam, et delicatulam, corporis humani peripheriae, et contemplemur SCROBICULUM sic dictum CORDIS, videamus ejus constitutionem, et signa cum consectariis ex eodem haurienda.

§. 4.

SCROBS antiqua vox est, quae idem designat, ac *fossa* vel *fovea*, itaque SCROBICULUS, more diminutivorum, parvam foveam, seu fossam, notat. Quando nunc corpus humanum nudum spectamus, in ea regione, in qua thoracis cavitas antice terminatur, et ea abdominis incipit, concavitatem, quandam seu depressionem superficiei

b) HIPPOCRAT. Epid. VI. Sect. IV. n. 26.

c) Ill. PRAESID. diss. de efflorescentia labiorum §. 4. 15. 16.

d) Conf. Ill. PRAES. diss. de notialgia §. 6. 8. seq.

e) BOERHAV. Instit. med. §. 906. 907.

f) BOERHAV. Instit. §. 955. Ill. ISENFLAMM. diss. de excoriatione morborum comite §. 21.

ficialem, plus minus latam, vel profundam, conſpicimus. Hanc quoniam ſupra eam vicini cordis motum animadvertimus, veteres jam *cordis ſcrobiculum* nuncuparunt *g*). In media hac cavitate duriusculum mucronatum corpus, et viſu et tactu, reperimus, quod ſterni appendix eſt, et a figura proceſſus enſiformis, ſeu cartilago Xiphoides, vocatur, quae interdum in duas partes fiſſa, et nunc magis nunc minus prominens eſt, in junioribus mollior, in ſenibus fere oſſea. Foramen ſaepe in medio reperitur, per quod vaſa mammaria tranſeunt *h*), quae quoque in aliis ſubjectis a latere epiphyſeos Xiphoideae e pectore egrediuntur, et cum vaſis epigaſtricis re vera, ſi interna, quae tamen in mammis cum externis communicant, praecipue ſpectes, in facie interna muſculorum rectorum abdominis communicationem alunt *i*). Sterni membrana hunc proceſſum quoque inveſtit, ſed ex media planitie ejus externa ligamentula ſingularia bina pronaſcuntur, quae utrinque divergendo ſurſum procedunt, verſus inſertionem cartilaginis coſtae ſeptimae verae *k*), quae cartilaginem roborant, ut tractionibus muſculorum rectorum abdominis, qui ad latera aſcendunt, et ad cartilaginem quoque accedunt, reſiſtere poſſint. Sternum viſcera thoracis anterius tegit et deſcendit, et in reſpiratione

g) WINSLOW Expoſit. anat. T. III. p. m. 253. §. 79.

h) de HALLER Element. Phyſiolog. Tom. III. p. 14. BARTHOLIN. Anat. p. 518.

i) WINSLOW Expoſ. anat. Tom. III. p. 22. §. 90. p. 84. §. 60.

k) WEITBRECHT Syndesmolog. *Petropol.* 1742. p. 122. 123. Fig. 49. f.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0157
DFG

operatur. Praecipue autem usus Xiphoidis cartilaginis, quae non sine ratione mobilis facta est, in eo consistit, ut diaphragma, quod ipsi, in superficie interna, fasciculo fibrarum singulari, adnatum est *l*), debite explicari possit *m*). Extrinsecus musculus praecipue abdominis obliquus ascendens, nec non transversus, in osse mucronato finitur *n*). Ad vitalem itaque diaphragmatis motum, cartilago ensiformis, ejusque mobilitas, requirebatur, et ea propter producta est, cum alias, ob costarum cartilagines, utrinque divaricatas, stabilis, cum mobilitate quadam, locus, ad actionem musculorum necessarius, non adeo commode daretur.

§. 5.

Dum fasciculi fibrarum carnearum diaphragmatis, orientis ab adpendice sterni, ejusque facie postica, ad septi centrum tendineum migrant, intra eos, et musculum majorem ipsum diaphragmatis, ortum a costis spuriis, ab utroque latere relinquitur spatium, veris musculosis fibris vacuum. Sed in eodem loco sibi membranae intimae pleurae et peritonaei occurrunt, et spatium clauduut, quod interdum pinguedine refertum est *o*). Hoc spatium ab utroque latere cartilaginis ensiformis fossulas format, quae maximam scrobiculi cordis concavitatem efficiunt, quae demum in apice mucronis centrum quoddam agnos-

l) de Haller de musc. diaphrag. §. 3.

m) P. A. Boehmer instit. Osteolog. pag. 240.

n) de Haller Elem. Physiol. Tom. III. p. 66. 68. Winslow Expos. anat. Tom. II. pag. 89. 98.

o) de Haller de muscul. diaphragmatis §. 3.

agnoscit. Respondet plerumque Xiphoides cartilago ventriculi parti fere mediae, sed magis versus pylorum vergenti. Nihil itaque *Cor* proprie ad scrobiculi formationem confert, sed in vicinia observatus cordis motus fere nomen ipsi dedit: quanquam largiamur, corde ipso vere dolente, et palpitante, etiam prope hunc locum molestias indicari. Neque pericardium proprie scrobiculum cordis format, quanquam hic tertius quasi pleurae saccus partim sterno superiori, partim tendineae diaphragmatis parti, adhaereat. Quatenus autem ante cor fovea haec est, eatenus etiam a corde nominatur, veluti quoque regio epigastrica, cujus initium scrobiculus est, cum suis lateralibus, ex eodem fundamento, termino praecordiorum salutatur *p*).

§. 6.

Incipit itaque a scrobiculo cordis abdominis cavitas, quae in regiones quatuor cardinales, epigastricam scilicet, umbilicalem, hypogastricam, et pubis *q*), quae porro suas laterales, hypochondriacas nempe, lumbares, iliacas, et inguinales, habent, dividi solet. In principio itaque epigastricae regionis animadvertimus scrobiculum cordis, ubi quoque eundem, artis lege, exprimere solent pictores et sculptores. Cum autem tela cellulosa subcutanea, quae adipem continet, non in omnibus subjectis eadem sit,

p) Ill. SCHMIDEL diss. de praecordiis. pag. 5.

q) Quae quidem minor reliquis est, et pelvis cavitatem praecipue sub se comprehendit, ut ideo eam ab hypogastrica separare fas sit.

patet inde, scrobiculi foveam, pro obesitatis vel maciei, in utroque sexu, et in sequiori pro mammarum ratione varia, nunc magis nunc minus animadverti.

§. 7.

Sed et scrobiculus cordis, cum a cartilagine ensiformi, a diaphragmate, a musculis abdominis ascendentibus et transversalibus, et rectis, et a spatio, quod a carne diaphragmatis relinquitur, formetur, et subjectus ipsi sit ventriculus: his cunctis autem partibus, praecipue sub vario corporis habitu, v. c. statione, supinatione, pronatione, *cet.* sua sit mobilitas et mutabilitas, patet inde, non semper eandem esse faciem scrobiculi, sed posse foveam expleri, et communia integumenta cum musculis attolli, ideoque tumidam reddi regionem epigastricam, quam et cum suis lateralibus, hypochondriis puta, uti §. 5. indicavimus, praecordia adpellare solent. Posse quoque augeri concavitatem, ut loco scrobiculi fovea conspiciatur, quae ad pollices et lineas mensurari queat. Porro cum diaphragma, et partes ipsi subjacentes, sensibiles omnino sint, sive fibrarum tonum, sive ipsas nervorum phrenicorum, paris vagi, et intercostalis, ramificationes, alibi descriptas, consideres, hunc locum certe dolere, et vario modo in dolorem verti posse, facillime quisque, cognitione hujus loci instructus, concedet.

§. 8.

Et certe sunt, qui in pluribus morbis in hoc praecipue scrobiculo molestias accusant, et tantum

tum

tum non semper locum ingrato sensu adfectum digito monstrant. Nunc enim pressionem cum duritie, nodi, nuclei, pali, vel clavi, instar, nunc morsicationem, ardorem, et spasmum, ut in soda et cardialgia, et singultu et vomitu, accusant. Nunc inflata admodum fovea haec est et tumida, ut vestimenta, et in infantibus fasciias, relaxare necesse sit. Nunc in foramen, digitis explendum, scrobiculus abit, ut videatur ad dorsi spinam procedere, sicuti et simul in dorsi regione, scrobiculo e diametro fere opposita, sensatio ingrata oritur. Nunc anxia est admodum respiratio, et de profundo hoc pectoris termino suspiria, aëremque, adducere videntur asthmatici, aliique aegroti. Nunc palpitationes cordis ex parte hic sentiunt. Nunc vertiginosi simul de scrobiculo conqueruntur. Hae quidem querelae in morbis praecipue chronicis observantur. Sed et in acutis et febrilibus non minus obveniunt. Referuntur enim praecipue in febribus biliosis, ante vomitus, vel nondum digesta vel evacuata saburra peccante. Referuntur in morbis exanthematicis, ante exanthematum eruptionem. E quibus omnibus facile colligitur, querelas de ingrate affecto cordis scrobiculo non minimi momenti esse, apud rationalem medicum, debere, et e phaenomenis, eorumque, rationibus inter se comparatis, scrobiculum varia signa subministrare posse, imo et indicantia, e quibus indicationes procedant.

§. 9.

Quando itaque de male affecto scrobiculo cordis instituitur querela, maxime attendendum

medico est, quaenam ex istis partibus, quae scrobiculum componunt, vel ei vicinae sunt, patiatur, unde patiatur, an idiopathice vel symptomatice? *cet.* Inter nobiliora autem loca in homine referendum esse scrobiculum, quique injurias non facile fert, ex partium brevi historia §. 4. 5. 6. 7. elucet. Quapropter mirandum non est, percussiones huic loco illatas, etiam absque vulnere, saepiuscule lethales evadere *r*), cum in homine nato praecipue vitalis diaphragmatis motus, salva sanitate, infringi, vel salva vita aboliri, nequeat. Hinc et scopo medico legali notandum venit, in inspectione partium externarum cadaveris cujusdam, lustrationem constitutionis scrobiculi cordis, et regionis vicinae, non infimum obtinere locum, cum ex ejus tumore, depressione sugillatione, ad alias lustrationes et conclusiones via patere possit *s*).

§. 10.

Ad idiopathicos porro morbos partis nostrae, mala ossium et cartilaginum thoracis conformatio pertinet, siquidem in gibbosis, rhachiticis, et ubi costae, cum vertebris et sterno, conum detruncatum, quam figuram ossa thoracis alias constituunt, non rite formant, etiam musculorum diaphragmatis insertiones situ variant, et impediunt, quo minus fornicem debitum constituat, et rite sese explicet, unde in tali casu respiratio ori-

r) E percussione scrobiculi cordis, a pugno, mors cita, cum splene disrupto. TISSOT *Anleitung für das Landvolk* p. m. 432.

s) V. HEBENSTREIT Anthropolog. forens. sect. II. membr. I. Cap. I. §. 26.

oritur difficilis, et circa scrobiculum quoque molestia.

§. 11.

Ipsa quoque appendicis ensiformis mala constitutio, etiam aliis partibus injuriam infert, et efficit, ut circa scrobiculum oriatur sensatio ingrata. Sic Xiphoidea cartilago, cujus longitudo communiter pollicem, et quod excutrit, aequat, interdum ad aliquot pollices producitur *t*) unde non tantum incurvatio corporis admodum dolorifica evadit, sed et ventriculus, cui respondet cartilago, et sinister interdum hepatis lobus, ex pressione, suos patitur dolores. Quodsi nimis mucro introrsum prematur, et curvetur, eadem oritur molestia, cum et diaphragmatis carnes vellicentur, et subjectae partes, ventriculus praecipue, maxime cum repletus assurgat, laeditur, unde, si apud infantes mala haec fuerit conformatio, frequentius vomunt, ejulant, et in atrophiam incidunt, nisi forte digito admoto apex iterum elevari, et in naturalem situm restitui queat *u*).

§. 12.

Efflorescentes et protuberantes mammas cum in sexu sequiori expromere soleant, quanquam hoc non semper eo fine faciant, ut assuefiant propinationi lactis infanti legitimo, vel propinent reapse, et saepe commonstrent; quantum huic ne-

t) V. Palfyn Chirurg. anatom. T. I. Edit. Germ. *Norimb.* 1760. p. 153.

u) V. praeter Pisonem, Codronchium, Zacutum, Ludov. Septalii Lib. un. de morbis ex mucronata cartilagine evenientibus. *Mediol.* 1612.

negotio aptae sint, hac ipsa tamen vestitus ratione declarant, quantum, et in regimine, consuetudo fieri possit altera natura, cum adeo debiliores et sensiliores femellae, non obstante frigore, plus minus, variaque decoratione, nudato pectore saepe incedant x), et dentur, quorum ipse scrobiculus cordis, cum hoc sexus discrimine, visui exponatur. At ne circa hanc in apricum expositionem, vel etiam nimis arctam constrictionem, in nonnullis, unde papillarum ad futurum usum mala aptitudo, quidquam capiat detrimentum, optandum tamen videtur. Male autem sibi consulunt eae virgines femellaeque, quae non tantum cataphractis inferiorem thoracis partem, et abdomen, nimium coërcent, ut junceae videantur, et spectentur ut ipsae, sed et asserculis lignis, vel lamina ferrea, *planchette* dicta, perpendiculariter cataphractae inclusa, junceam figuram conservare, naturaeque dona augere, fatagunt, re ipsa autem malo hoc artificio, et viscerum mediae et infimae cavitatis compressione, functiones eorum laedunt, sed et cartilagini ensiformi, et scrobiculo, vim inferunt. Modica autem compressio praestat, si apex cartilaginis nimis elevatus, et sursum recurvus, veste superinducta, sensilem cutem in dolorem vertit.

§. 13.

Cor hominis, si ejusdem fibrarum, admodum inter se contextarum, compagem consideramus, difficillime explicabile est, ut tamen fuerint

x) Conf. D. Jo. Geo. Zimmermann *von der Erfahrung in der Arzneykunst.* Zürich. 1764. Vol. II. p. 548. 626.

rint magni viri, quorum induſtriae hanc explicationem debemus *y*). Sed, ſi a deo omniſcio recedimus, inperſcrutabile potius fere eſt cor, ſi hanc vocem in ſenſu magis morali ſumamus, in quo et ſaepiuſcule in ſacris litteris obvenit *z*), cum, quamquam cordis, ſeu potius voluntatis, motus per varia ſigna pateſcant, tamen et haec vario modo occultentur, homines autem fallant, et fallantur. Quae vero circa cordis foveam, ejusque alterationes porro perſcrutanda veniunt, et pro viribus explicabimus, et phaenomena ad rationes revocabimus. Facile autem ex iis, quae §. 4. ad 7. adduximus, patet, maximam alterationem ſcrobiculi cordis deberi *diaphragmati*, quippe cujus a cartilagine enſiformi initium, et ad cartilagines coſtarum adhaeſio, eundem maxime efficit. Non plane ſententiam docti viri *a*) noſtram nunc facimus, ac ſi diaphragma centrum ſit, uti omnium membranarum, eorumque proceſſuum, ſic et centrum, ex quo omnes paſſiones noſtrae oriantur, et quorſum omnes motus determinentur; ſed influxus hujus ſenſilioris et nobiliſſimae membranae muſculoſae in tot pathemata corporis humani apertus eſt, ſi connexionem cum vicinis partibus, ciborum transmiſſionem, venoſi ſanguinis refluxum, ſpectes, et ejus-

y) V. Lowerı Tract. de Corde. *Lugd. Bat.* 1708. Cap. I. per totum.

z) Jerem. Cap. XVII. v. 9. Prov. Salom. C. VI. v. 18.

a) de la Case Idée de l'homme phyſique et morale, pour ſervir d'introduction à un traité de medecine. *Paris.* 1755. Cujus libri verſio germanica quoque prodiit, in *Med. u. Moral. Schriften* des H. de la Case. *Leipz.* 1765. Vid. P. I. pag. 112. P. II. pag. 13. 84. 322.

ejusdem in respiratione energiam, et cum musculis abdominalibus symbolismum, et in viscera quoque abdominalia actionem, et ab his reciprocam quoque *passionem*. Affecto itaque diaphragmate, circa cordis quoque scrobiculum affectio aderit, sicuti quoque haec fovea, aliunde alterata, alterationem ad ipsum diaphragma transmittere poterit.

§. 14.

Nunc diaphragma praecipue alteratur a viscerum in regione epigastrica, ejusque lateralibus, sitorum, et cum reliqua infimi ventris cavitate connexorum, alteratione, quae ex simplici membranacea, et nervea, et musculosa, et vasculosa connexione oriri potest. Haec multis modis in statu acuto et chronico contingit. Ideoque in utroque affectio scrobiculi, et ejusdem cum aliis partibus consensus, vel auctus vel imminutus quoad actionem, obtinere potest.

§. 15.

Paraphrenitis olim pro sola inflammatione diaphragmatis habita est. Sed et observationes docuerunt, et diaphragmate inflammato viscera non tantum thoracis, sed et praecipue abdominis pati, et febrium malignarum et paraphrenitidis magnam esse communionem *b*). Sicuti quoque et e pleuritide et peripneumonia, et e ventriculi et intestinorum, hepatis, lienis, imminente vel praesente inflammatione, diaphragma pa-

b) b. BRENDEL de coguat. paraphrenit. et febrium malign. *resp.* BIEDERMANN. Goetting. 1752. §. 4. 15. Conf. b. PLATNERI Ars medendi, in fine §. 193.

patitur, unde ex ejus alteratione difficilis ejusdem explicatio et constrictio, respiratio anxia, singultus, *cet.* oriuntur. Inde frequentes circa cordis scrobiculum angustiae, dolores. Quae pathemata porro augentur, si materia corruptioni proxima, *biliosa*, vel mucosa nimis viscida, et nimis adhaerens, est, qualis quoque in nonnullis intermittentibus praesto est. In febribus praecipue biliosis, et sic dictis mesentericis, vel potius intestinalibus, acutis, minera morbi haeret in primis viis, quae per vomitus, vel per alvinam excretionem, exitum desiderat. In illis praecipue summa angustia adest, ex qua talem febrem, ab anxietate cum nausea et conatu vomendi, veteres jam *asodem* nuncuparunt *c*). Quodsi autem aegroti sedem morbi, et ex eadem affectum diaphragma, digitis monstrare solent, tum circa scrobiculum, qui tum magis una cum praecordiis, malo signo *d*), intumescit, dolores accusant.

§. 16.

Sed angustiam quoque, et dictos dolores experiuntur, quando *exanthematum* variorum eruptio instat. Praejudicium quidem est, si cunctas angustias pro signo secuturi exanthematis, purpurae praecipue, habent, quod itaque eo magis sit nociuum, si ad regimen calidum, et ad expulsionem per calidiora medicamenta, properant. Sed si reliqua signa quadrent, potest tamen angustia nuntius esse secuturi exanthematis, siquidem ea perit, et allevantur aegroti, si ad peri-

phe-

c) Cf. diss. sub ill. PRAES. hab. *de febre asode*. Erl. 1764.

d) LOMMIUS obs. med. L. III. p. m. 279.

pheriam corporis deponitur noxia materia: et ipsa angustia vasorum sanguiferorum, praecipue in thorace, nimiam repletionem, et orgasmum supponit, et auctam vim cordis, quod nunc ingruit, crisin molitur, et mutando crudo in coctum, conatur, ut sic

Vitae luctando destruat hostem.

Quocum negotio cum frequentior respiratio conjuncta sit, etiam diaphragma cum antagonistis suis, abdominalibus scilicet musculis, celerius movetur, adeoque circa scrobiculum molesta oritur sensatio.

§. 17.

Extra autem febrem plures circa scrobiculum cordis oriuntur molestiae. Earum singularis plane interdum est origo, quando in isto spatio, quod fibris carneis diaphragmatis destituitur, et ubi pleurae et peritonaei membranae sibi occurrunt §. 5. et in quarum cellulosa substantia adeps interdum congeritur, vera *steatomata* emergunt, quae difficilis respirationis causae insuperabiles existunt *e)*. Ut tamen non absque exemplo sit, *tumorem hydropicum*, *saccatum*, qui ad latus sinistrum cartilaginis ensiformis, magnitudine dimidium ovi gallinacei superans, surgebat, et intra costam quintam et sextam, ubi costae cum cartilaginibus sterni cohaerent, in ipsa thoracis cavitate haerebat, sectione felici sublatum esse *f)*.

§. 18.

Notissimus est, inter infantum morbos, affectus quidam, quem *Cardiogmum*, das *Herzgespann*,

e) Haller de muscul. diaphragm. §. 3. not. *c)*.

f). V. ill. Kaltschmid *progr. inaugur.* de hydrope pectoris saccato rarissimo. *Jen.* 1765.

ſpann, vocant. Is praecipue praecordiorum tumore ſeſe manifeſtat, ita ut ſcrobiculi fovea plane diſpareat, ejusque loco tumor exſurgat, ex quo dolorem, magno ejulatu, tenelli indigitant. Falſiſſime autem ab imperitis mulierculis ſubluxatio quaedam, quae forte per ancillarum incuriam, vel dum infantes nimis inquieti fuerant, facta ſit, ſemper hic accuſatur, vel quoque concretio quaedam, *das Anwachſen*. Non equidem utrumque, utpote interdum factu haud difficile, plane negabimus. Sed ſemper vel ad violentas extenſiones confugere, vel ad preſſiones, pollicum, oleo inunctorum, ope, ut faciunt mulierculae, tortura magis quam medela eſt. Oritur potius hic ſcrobiculi tumor, a ventriculi tumore, qui vel coagulato lacte, vel pulticula ſpiſſa, vel potu frigido, vel flatibus, repletus eſt, unde is verſus diaphragma nititur, quod in ſua debita expanſione et actione impeditur, atque thoracis efficit anguſtiam. Accedit ſaepe redundantia, a ſudore repreſſo, a materia ab achoribus, cruſta lactea, aliisque exanthematibus, intus converſa. Quapropter hic et varia evacuantia, et lenia carminativa, locum habent, ſicuti et modeſtae frictiones quadrant, ſi praecipue ſecundum eam directionem inſtituantur, ut e ventriculo contenta verſus duodenum promoveantur. Sub ventriculo tumor diſcutitur, et praecipue flatus promoventur, ſi frictio, quae et ſacculo, ſpeciebus carminativis repleto, inſtitui poteſt, directionem inteſtini coli ſequatur, et incipiat a regione iliaca dextra, et arcus figuram verſus epigaſtricam, et dein iliacam ſiniſtram, deſcribat, unde ſaepe flatus incarcerati cum euphoria protruduntur.

§. 19.

Similia autem pathemata adulti quoque patiuntur, quando praecipue ventriculus, et inteſtinorum canales, *flatibus* referti ſunt, vel cruditates variae primarum viarum adſunt, unde ſimilis diaphragmatis, et ipſius ſcrobiculi, mutatio oritur. Mutationum autem fiendi modos, cauſasque, nunc hoc loco eo minus repetendas ducimus, cum integrum hoc penſum pathologico practicum ampliore ſermone, et ex inſtituto Jll. PRAESES proſecutus ſit *g)*. Patet autem ex ſcrobiculi cordis hiſtoria, poſſe etiam in talibus caſibus, niſi ſanguineum negotium, ſaepe et complicatum, interdum vetet, vel individualis quaedam ſenſibilitas, medicamenta carminativa externa cum fructu applicari, praecipue in non admodum obeſis, cum ſedem etiam mali attingere queant. Poſſunt itaque ſacculi ſtomachici, balſamis ſic dictis vitae, ſpiritu matricali, lavendulae, anthos *cet.* irrorati, ſcuta ſtomachalia, ex emplaſtris appropriatis confecta, regioni epigaſtricae et umbilicali applicari. Immo et charta bibula complicata, et aqua quadam carminativa impraegnata. Poteſt ſcrobiculus illiniri balſamo vel oleo nuciſtae, vel alio balſamo ſicco. Quae topica cuncta, ſi obſervatio reliquarum regularum diaeteticarum et therapeuticarum ſimul accedat, ſaepe femellis, *vaporibus* ſic dictis ſubjectis, magis proficua ſunt, quam ornamenta illa moderna, *prétenſions* dicta, quae de collo ad ſcrobiculum pendent.

§. 20.

g) Abhandlung von den Blaehungen, als einer oft verborgenen Urſach ſchwerer Zufaelle. §. 13. 14. 17. ſeq.

§. 20.

Adsunt in diaphragmate, praeter hiatum inter ejus appendices, qui arteriam aortam, et thoracicum ductum transmittit, bina foramina, alterum dextrum, obtuse quadratum, in tendinea magis septi parte, per quod vena cava ascendens transit, et statim sanguinem omnem abdominalem, et partium inferiorum, ad dextrum cordis ventriculum reducit. Hoc foramen non immediate quidem subjacet scrobiculo, sed hic tamen alterari potest, praecipue autem admodum magna angustia thoracis, et summa cordis palpitatio, oriri, quando stagnationes in hepate adsunt, et difficilior sanguinis per hoc viscus, mole magnum, distributio: quale quid non tantum in hypochondriacis observatur, sed praecipue in *ictero* b)

§. 21.

Sed alterum et sinistrum foramen septi in ejus carnea parte est, quod oesophagum transmittit, quodque stringi et relaxari potest, ab ipsius septi hujus transversi *muscularibus fibris*. Hae oesophagum ambeunt, atque ita superius seu sinistrum ventriculi orificium naturaliter claudunt, ut oesophago opus sit, deglutitum bolum, ope peristaltici motus proprii, in ventriculum urgere. Hoc orificium sinistrum ventriculi, partim multis vasis, arteriis a coeliaca oriundis, venis demum in venam portae confluentibus, gaudet. Partim autem ipsi multi et insignes nervi sunt, quos generat praecipue octavum par, duobus plexubus oesophago injectum, quod quoque in diaphragma

b) V. ill. Praesid. Observ. in Fraenk. samml. Vol. II. P. XI. pag. 320. sq.

ma sese immergit. Hinc admodum sensile hoc orificium ventriculi est, ut ratione sensilitatis cum lingua quoque certare possit, si quidem acria, quae lingua non adeo discernit, stomachum alterant. Cor Graeci quidem καρδίαν vocant; sed antiquissimis jam temporibus eo nomine quoque superius ventriculi orificium venit, ut *cardiacam* adeo *passionem communem* eam dixerint, quae substantiam in stomacho atque ore ventris habuerit, ubi etiam morsicatio sequatur dictarum partium *i)*. Similis est autem, ingratissimo sensu et vehemenria, cardialgicus dolor illi, qui cordis est. Et a καρδίᾳ ventriculi ad ipsum cor propagari potest, siquidem ad nerveum plexum cardiacum, etiam par octavum, ejusque ramus recurrens, accedit, cujus utriusque ramuli varie inoculati, et confusi cum intercostalibus sunt. Unde et in cardialgia cordis quoque saepiuscule palpitatio, et thoracis angustia. Ut tamen reciprocum nunc nexum quoque non negemus, siquidem eatenus quoque et a corde proficiscuntur praecordiorum affectus, quatenus cor, modo hic non explicabili, vel ex propria voluntate et desiderio vario, vel ab injuriis, insidiis, et turbis, quibus homo homini lupus est, adficitur, unde in animi pathematibus plerumque ventriculus, et in praecordiis sita viscera, sua patiuntur, et saepe satis gravia, incommoda.

§. 22.

Dirus saepe morbus vera cardialgia est, ut etiam fuerint, qui se evadere non posse clamitent,

i) V. Cael. Aurelian. de morb. acut. et chron. Lib. II. C. XXX. p. m. 145. et C. XXXV. ubi vetustissimus post Hip-

tent, nisi dolens admodum locus aperiatur *k)*, et qui de consciscenda morte cogitarint. Circa scrobiculum vero ingratissimum nunc sensum experiuntur, qui saepe adeo alteratur, ut foramen aliquod profundius formet, et videatur scrobiculus versus interiora retractus, uti saepiuscule vidit Jll. PRAESES, quale phaenomenon aliunde vix derivare possumus, quam a spasmo orificii ventriculi sinistri, unde diaphragma quoque in consensum trahitur, et spastice contractam etiam foveam cordis retrahit. Cuncta symptomata augentur, si simul dextrum etiam orificium, et ipse ventriculus a communi labe affectus fuerit, et ex eadem ratione nunc *singultus*, nunc *nausea* et *vomitus*, instet, et vertigines, cephalalgiae, aliquando convulsiones, et deliria, et lypothymiae cum sudoribus frigidis, accedant, quae ex tractis in consensum nervosis partibus explicare fas est. Materiales causae autem variae esse possunt, ut praeter ea, quod *deglutita* quoque osscula, aliaque, hunc locum gravissime infestare possint, nunc, ex vitio, retrograda *bilis* stomachum vexet, nunc *saburra acris*, acida, ammoniacalis, peccet, nunc *vermes* rodant et terebrent, nunc *flatus* distendant, nunc tenacis *muci* adhaesio gravet, nunc ipsum *venenum* in culpa sit *l)*. Interdum tolerantia *famis* et *sitis* ex nervorum nudarum ventriculi attritu ingratum efficit sensum. Ut tamen quoque non negligenda sit

HIPPOCRATEM auctor pro idiotis habet, qui oris ventris dolorem pro cordis dolore habent.

k) V. ill. RICHTER *diss.* de Cardialgia. *Resp.* D. KOELER. *Götting.* 1750. §. 1. 2. 9.

l) TEICHMEYER Instit. med. legal. Cap. XX. Quaest. 5.

redundantia sanguinis, siquidem cardialgiam cum negotio menstruo et haemorrhoidali conspirare *m*) quoque observamus. Quapropter sollicite in hoc affectu, hypochondriacis et hystericis familiari, distinguendae sunt causae, cunctarumque signa diagnostica, anamnestica, concomitantia, eruenda, nec una tantum methodo affectus sublatio tentanda, siquidem v. c. carminativa flatus dispellunt, ructus allevantes movent, digestionem juvant, sed in sanguineo negotio oleum camino addunt.

§. 23.

Adfectus quidem, quem *sodam* vocare solemus, non inter sonticos adeo refertur, cum rosionis seu ustionis, circa scrobiculum cordis, sensus magis pro molesto quam periculoso habeatur, et saepe transitorius sit. Sed ex ipsa adfecti loci consideratione patet, non plane vilipendendum eum esse, cum sedes morbi ipsum quoque os ventriculi, tam sensile, sit, atque facillime quoque in ipsam cardialgiam transeat, atque easdem quoque causas agnoscat, cum acres materiae, bilis, restrictus circa ventriculum sanguis, pinguia et rancida assumta, fermentescibilia, refrigerium corporis peripheriae, et ipsius scrobiculi, flatus, vermes, *cet.* in culpa esse queant *n*). Ut ideo quoque non una sit sodae curatio, nec v. c. cancrorum lapides, nec morsuli contra sodam, nec amygdalae dulces, utut suo tempore proficua, sem-

m) V. b. Platneri Ars medendi *Lipsi.* 1765. §. 452. 6. Junkeri Consp. med. pract. Tab. CV. p. 824.

n) Conf. *Diss.* sub. praesid. ill. Buchneri a D. Ackermann habita *Hal.* 1762. de soda, ut morbo saepe gravi.

semper negotium absolvant, sed nunc digestiva et evacuantia, nunc mucilaginosa, involventia, potulenta theiformia, diluentia, nunc acida dulcificata, et liquores anodyni, nunc alia carminativa, nunc nitrosa temperantia, nunc ipsa venaesectio, vel modesta haemorrhagiarum naturalium provocatio, in soda et cardialgia praestet. Spirituosorum praecipue abusus damnandus hic est. Haec enim quamquam saepius flatus dispellant, et inducto novo ventriculi stimulo, ad tempus juvent, tamen praeter ea, quod etiam ex stimulo sanguinis orgasmum concitent, ipsas ventriculi fibras nimis stringunt, corrugant, indurant, sicuti in cadavere foeminae, quae, ob cardialgias, frequenter quoque vini adusti haustus sumserat, ill. PRAESES invenit fibras sic dictas ventriculi longitudinales, praecipue in ejus fundo, seu potius arcu majori, admodum induratas, et in fasciculos, seu ligamentulorum formas, redactas, ventriculumque in ejus medio ita contractum, ut binos saccos simularet.

§. 24.

Facile denique scrobiculus cordis in consensum ducitur, quando integrum abdomen patitur. Hujus rei exemplum in *hydrope* ascite, nec non in *tympanitide*, habemus. Serum enim, in abdominis cavitatem extravasatum et effusum, et viscera inundat, comprimit, mole sua descensui et debitae diaphragmatis actioni resistit, pectus angustat, scrobiculum in tumorem elevat, gravesque sic molestias creat: quae cuncta etiam de aëre, quatenus fluidum elasticum est, valent, quod ventriculo et intestinorum canali inclusum,

saepe et in cavitate abdominali contentum, partes cingentes distendit, et musculos quoque abdominales, rectos praecipue, ad contractionem sollicitat, unde circa scrobiculum sensus quoque ingratissimus oritur.

§. 25.

Possemus in tali statu aliquam quoque causam in vasorum epigastricorum cum mammariis, quae scrobiculum perreptant, §. 4. anastomoses rejicere, quoniam ex spasmo dictarum partium, etiam liber sanguinis circulus per haec vasa impeditur, et sic ipsi scrobiculo injuria fit. Sed cum vasa ea exigua sint, neque adeo magna ex eorum alteratione damna emergant, in sola eorum commemoratione subsistimus. Plurium autem pathematum et graviorum cum mentionem fecerimus, quorum signum scrobiculus cordis subministrare potest, loci hujus dignitas, et necessaria consideratio inde apparet. Nos autem nunc vela contrahimus, atque ut mortales, uti corde puri et mundi *o*) et a conscientiae, quae interdum dormit, evigilans autem graviter angustat *p*), labe immunes, sic a morbis cordis, ejusque scrobiculi, liberi sint, vel medica ope quoque, adspirante Deo, liberari queant, sincere precamur.

o) Matth. Cap. V. v. 8.

p) Fraenk, Samml. Vol. VI. P. XXXV. p. 415.

VI.

VI.

Dr. JOAN. FREDERIC. ACKERMANN
resp.
GEORG. GUILIELM. FEVERLEIN.

Dissert. sist.

Praesagia medica ex praecordiis.

Gottingae, 1752.

De *Praesagiis praecordiorum.*

§. 1.

Qui libros veterum medicorum et inprimis HIPPOCRATIS animo paullulum attentiori legerit, ille, puto, non poterit non injucundissimam quandam et venerabundam naturae admirationem rapi, quae periculi a morbis metuendi tot interpretes voluerit esse et monitores. Nemo sane veteribus, quippe ad aliena, quae diffusam magis, quam necessariam eruditionem produnt, haud temere delapsis studio et industria in iis observandis naturae viis et monitis major nostro

aevo exstitit. Frons, oculi, vultus, aures, nasus, labia, lingua, fauces, respirationis molimina, arteriae, cutis, vesica, alvus, lumbi, praecordia, sensus, artus omnes ac motus magnitudinem et perniciem aegritudinis, qua corpus conflictatur, eloqui apud eos et totidem quasi linguis enarrare inveniuntur. Nempe non tecte, sed aperte natura agit, etiam tum, cum frustra reluctantibus artis, ingenii et experientiae opibus morbos ad vitae perniciem accendit. Nam, si ab apoplexia, peste paucisque aliis recesseris, quibus tamen et ipsis non omnino nulla praecedunt indicia, nunquam morbus tam praecipiti violentaque saevitia jugulat, ut, quae spem victoriae sustentant, moliri homo in tutelam afflicti corporis nequeat. Merito igitur cum GEORGIO BAGLIVIO *a*), TH. SYDENHAMO *b*) et aliis succenseas, si toties medici cum scriptis suis tum sermonibus malignitatem crepant. Sane, quo diligentius ex veterum monumentis morborum formas, vim ac signa didiceris, et seriem symptomatum, quae per ipsorum tempora, incrementi nimirum, status ac decrementi oriuntur, ex saniori physiologia explicueris, eo magis jactatam illam malignitatem, quam natura nescit, a constantissimis ejus legibus abhorrere intelliges *c*). Quemadmodum igitur et utilissimus labor

a) *Prax. med. L. I. c. V. §. 9. Op. p. 17. Ed. Lugd.*

b) *Op. p. 540. Edit. Leidens.* Ubi malignitatis inventionem ait humano generi longe ipsa pulveris pyrii inventione lethaliorem fuisse.

c) Quod apud HIPPOCRATEM κακοήθες dicitur, illud, si recte interpretari volueris, nihil aliud significat, quam dif-

bor est, quibus solidorum fluidorumque rationibus nitatur corporis nostri integra valetudo, invenire et experimentis quotidie magis perspicere; ita, sub quibus conditionibus ac signis eadem ex gravissimis morborum periculis eluctari possit, ad veterum et maxime HIPPOCRATIS, quem merito cum CELSO parentem medicinae habemus et veneramur, exemplum in aegris perscrutari, non minoris momenti videtur. Est vero haec doctrina tam difficilis aditu et salebrosa, ut, nisi veterum monumenta, quorum de hac re effata, tanquam naturae judicia, dies confirmat, lucem accenderent, vel plane non ad eam essemus accessuri, vel per diuturnam multorum annorum diligentiam pauciſſima ex multis et veluti per umbram cognituri. Felicem profecto habere fas est, qui ad aegrorum lectulos ista veteris sapientiae adferre oracula, et morbis accommodare singulis elaborarit: is solus enim in pernoscenda vel pernicie vel salute aegrorum et definiendis remediis non haesitanter versabitur. Quod quidem sigillatim pro ingenii et doctrinae modulo in iis prosequemur, quae de praecordiis egregie veteres et inprimis HIPPOCRATES tradiderunt. Quorum sane, fateor, eo majori me captum esse amore, cum aliquoties, quam sint verissima, experiri in ipso artis opere contigerit.

§. 2.

difficile, grave, multorum symptomatum periculo conjunctum. Quod si malignum quoque indicaverit, admitti forte potest etiam crebrior verbi usus. Plerumque vero, si quaedam praeter opinionem, eaque periculosa morbo accesserint, vel si tacita quadam, ut creditur, et clandestina vi, ex pulsu urinaque non perspicienda, morbus vitae hominum insidiatus fuerit, malignitatis cujusdam culpae referri videas.

§. 2.

Praecordia *d*) eam vocamus triangulam abdominis in corpore humano partem, quae ad ſterni et coſtarum ſpuriarum marginem cartilagi-

d) Varius eſt hujus vocis apud auctores uſus. Nunc enim integrum cum cavo ſuo thoracem, vel pectus, nunc animum ejusque varios adfectus, nunc ipſum cor, nunc diaphragma, nunc huic ſubjecta viſcera, nunc denique omnia ſub coſtis viſcera ſignificat. Sic, *haſta* apud VIRGILIUM, *Aen. IX. v. 413. fiſſo tranſit praecordia ligno* i. e. thoracem. Quo ſenſu illud QUINTILIANI ſumitur *Inſtit. orat IV. 2. totis praecordiis ſtertere.* Nec aliter OVIDIUS de Deianira *Heroid. Ep. IX. v. 157. Exegit ferrum ſua per praecordia mater.* Ipſe CELSUS, qui alioquin opponit *pectus et praecordia*, *de med. II. c. 2.* et hanc tamen voci vim tribuit, *L. IV. c. I. arteria aſpera ad praecordia deſcendens cum pulmonibus committitur;* et paullo poſt: *Sub corde et pulmone ex valida membrana ſeptum eſt transverſum, quod a praecordiis uterum*, h. e. cavum thoracis a cavo abdominis, *diducit.* Uſu vero alio, nec minus frequenti, praecordia animum ejusque adfectus indicant, a quibus excitatae in cordis ſanguinisque motu turbae hominibus omni fere aevo de ſede animi ſollicitis videbantur ad praecordia pertinere. Hinc alii in toto pectore, alii in corde, alii ejus ventriculis, alii in pericardio (ἐν τῷ περὶ καρδίαν ὑμένι), alii in diaphragmate animae domicilium conſtituerunt. vid. PLUTARCHUS, *de plac. Philoſoph. C. V.* et *Plato in Phaedone:* nec non GALENUS *de Decr. Plat. et Hippocr. Op. Iunt. Edit. Cl. I. p. 161. D.* Itaque OVIDIUS *Ep. ex pont. IV. XII. v. 16. Rideat* ait *et pectus habere neget. v. 37. Praecordia dura* vocat, et *Heroid. Ep. II. v. 183. praecordia ferrea.* Sic VIRGILIUS *Aen. II. v. 467. Quondam etiam victis redit in praecordia virtus:* JUVENALIS *Satyr. XIII. v. 181. Nempe hoc indoctis, quorum praecordia nullis interdum aut lenibus videas flagrantia cauſis:* HORATIUS *Serm. I. IV. v. 89. Condita dum verax aperit praecordia Liber:* LU-

CA-

gineum, reflexis ad lumbos angulis (quos, si ab extremis utriusque lateris costis per umbilicum ductam lineam fingas, ad basin dicere possis) utrinque descendit, et intus sub hac parte costisque

CANUS *Pharsal. VI. v. 37. Carmine Thessalidum dura in praecordia fluxit*, aliique multi praecordia pro animo dicunt. Atque interdum elegantissime utraque, quam indicavimus, vis verbo subjecta latet, ut et pectoris et animi conditionem simul describat, ut apud JUVENALEM *Sat. I. v. 167. Tacita sudant praecordia culpa.* An vero ipsum cor significet, dubitare possis, nec illud Virgilianum postulat; *Georg. II. v. 484. Frigidus obstiterit circum praecordia sanguis*, vel si LUCANO vocatur *Pharsal. II. v. 557. fervidus circum praecordia sanguis.* Magis notanda praecordiorum significatio apud PLINIUM *Hist. Nat. XI. n. 77. Ed. Hard. Exta hominum ab inferiori parte separantur membrana, quam praecordia dicunt, quia cordi praetenditur; quod Graeci vocant* Φρένες. Quod et GALENUS confirmat, *Com. in Progn. Hipp. Op. Cl. IV. p. 194. H.* Ubi, ex versione *Laurentii Laurentiani, praecordia ac septum*, (Φρένες καὶ διαφράγμα,) dicit, *idem majores vocaverunt.* Recedit ab hac ipsa ratione PLINIUS *H. N. XXX. n. 14.* dum, *praecordia*, inquit, *uno nomine vocamus exta in homine.* Ad quae verba *Harduinus* adducit PLINIUM VALERIANUM sic differentem: *praecordia in universum vocamus, quae alii in plura dividunt. Vocatur modo stomachus, modo jecur, modo praecordia.* Quid igitur? Nunc ipsa exta, nunc membrana, quae ab inferiori parte separantur, praecordia dicta? Exta vero, quae haruspices inspiciebant, non solum hepar et lien, sed et pulmones ac cor fuerunt. Quomodo igitur PLINIUS ea dicere potest ab inferiori parte separari diaphragmate, quod inter cor atque pulmones, et inter hepar lienemque expanditur? Ergo sic forte PLINIUM sibi conciliaris: *Exta hominis sunt viscera in cavo thoracis ossei (non ejus praecise, quem vulgo diaphragma claudit,) sita, pulmones, cor, jecur, lien, quae etiam prae-*

que dictis inter mesocolon transversum et diaphragma recondit hepar, lienem, ventriculum duodenum, et pancreas. Ipsum enim diaphragma vix a quibusdam merito ad haec praecordia refertur, quippe communis utrique cavo musculus, et thoraci potius, in quo opus respirationis turbat, quam abdomini labe sua infestus. Ex quibus quidem patet, quae Latinis *e)* praecordia dicantur, haec

praecordia dicuntur: Sed et ea membrana ita vocatur, quae ab inferiori, h. e. *spinae dorsi parte enata pulmones et cor separat a jecinore et liene.* Certe his conveniunt ea, quae *H. N. XI. n. 82.* PLINIUS ait: *Pectus*, h. e. *ossa praecordiis et vitalibus circumdedit provida natura; at ventri, quem erat necesse increscere, ademit.* Apud medicos vero, CELSUM, ut plurimis deinceps patebit, SCRIBONIUM LARGUM, MARCELLUM EMPIRICUM, atque adeo illum latinizantem, ut ipse vocat, CAELIUM AURELIANUM, et dicta epigastrii regio et viscera huic subjecta praecordia vocantur. Quam quidem dicendi rationem et alii interque hos ipse secutus est CICERO, *de Finib. Bon. et Mal. V. 30.* *Polycratem* felicem dicens, quod annulum, in mare abjectum invenerit *in praecordiis piscis*, h. e. in ventriculo: et *Quaest. Tuscul. I. 40. Praecordiis conceptam mortem Theramenem habuisse, exhausto veneno.* Ita etiam CURTIUS *IV. 16. Praecordia extemplo tendebantur, ab aqua turbida, quam avide hauserant;* similiter SUETONIUS *Praecordiorum inflatione Augustus tentatus est initio veris. c. 81.* et SENECA, *Qu. Nat. IV. c. 13. Corrupta luxu praecordia* dicit: quod vero cum Plinio de toto pectoris cavo ejusque visceribus intelligere possis.

e) Autore maxime CELSO: quod et MONARDUS *Inst. p. 71.* testatur. Conf. *Commentatores ad locum Suetonii. Aug. 81.* Disputat cum *Fuchsio* CORNARIUS, an verti possint ὑποχόνδρια praecordia. Res ipsa facile patet legentibus *Celsum* atque *Hippocratem*. Hujus enim omnia de hypo-

haec Graecis ὑποχόνδρια *f*) vocari. Unde hac deinceps voce latinitatis jure donata promiscue auctores omnes, et ii etiam usi sunt, qui graecorum medicorum libros in latinam linguam transtu-

pochondriis praesagia *Celsus* praecordiis tribuit. Quod inter alia ex illo probari potest loco, ubi *de Medic. II. 8.* ait: *Ipsa febris, quod maxime mirum videri potest, saepe praesidio est; nam et praecordiorum dolores, si sine inflammatione sint, finit.* Ita enim haec HIPPOCRATES *Aph. S. VI. 40.* ὁκόσοισι περὶ τὸ ὑποχόνδριον πόνοι γίγνονται, ἄτερ φλεγμονῆς, τετέοισιν πυρετὸς ἐπιγενόμενος λύει τὸν πόνον. Deinde *Libr. III. c. 24. Quem* (iterum) HIPPOCRATES *ait, si post septimum diem febricitante aegro supervenit, tutum esse, mollibus tantummodo praecordiis substantibus.* Quae ex *Aphorismorum Sect. IV. n. 64.* desumta sunt. Vox hypochondriorum, quod equidem sciam, apud *Celsum* non occurrit.

f) Χόνδρος, unde nata vox, omnem quidem in universum significat cartilaginem, inprimis tamen eam, quae, costarum spuriarum extremitatibus praetexta, eas cum sterno committit; deinde etiam hujus exiguam cartilaginem, quam ξυφοίδα vocant. Sunt igitur ὑποχόνδρια, quae vel externe vel interne suo cartilaginibus ponuntur. Quod RUFUS EPHESIUS *de part. C. H. appellationibus Ed. Guil. Clinck p. 30.* confirmat, Χόνδροι δε, dicens, τὰ πέρατα τῶν πλεύρων τῶν νόθων, ὑποχόνδρια δὲ τὰ ὑπὸ τοῖς χόνδροις μυώδη, ubi interpres latinus merito alioquin ob falsam in multis versionem reprehendendus, ad hypochondria addit, *quae praecordia a nonnullis latine dicuntur.* Et JULIUS POLLUX *Onomast. II. n. 165.* καὶ μὲν δὴ ὑπὸ προκαρδίῳ, (quod quidem paullo superius explicuit) τὸ δὲ ὑπὸ χόνδρῳ ὑποχόνδρια (καλέσει). Ipse etiam HIPPOCRATES interdum τοῖς ὑποχονδρίοις σπλάγχνα ad-

tulerunt g). Apud medicos tamen recentiores fere frequentius est hypochondriorum nomen, quip-

addit, ut *de Vict. acutor. T. II. XXIX. 15. Edit. Lind.* ubi oxymel dicit esse ὑποχονδρίῳ καὶ σπλάγχνοισι τοῖσι ταύτῃ ἐυμενὲς. Recte igitur quanquam spurio in libro, et Herodoto potius cuidam, quam Galeno tribuendo, *introductio*, seu *medicus* dicto, hypochondria sic describuntur: *hypochondria subcartilagea nominamus, quae sub ventriculi ore ad partem exteriorem apparent. Sunt autem musculi, qui, expansi membrana pertenui, veluti araneae, quam peritonaeum Graeci vocant, subjacent, extrinsecus vero cute teguntur. Aequivoco autem cum his vocabulo etiam interiora viscera vocamus hypochondria, quoniam et ipsa sub cartilaginibus costarum spuriarum ab interiori parte existunt: sed exteriora proprie. vid. Op. Galen. T. I. Isag. p. 53. Edit. Iunt.* Quibus si contuleris ea, quae GALENUS *in Commentario ad Prorrh. I. T. III. Cl. IV. p. 172. D. E.* differit, optime conspirare inter se intelliges. In *Commentario* etiam *ad Aphor. Hippocr. II. 35.* GALENUS ait, *totum abdomen dividi in hypochondrium, loca ad umbilicum, et imum ventrem.* (ἦτρον). Merito etiam hic audiendus FOESIUS *in Occ. Hip. hypochondrium ea pars est corporis, quae sub nothis costis ad ilia usque utrinque protenditur, non solum musculos, sed et interna viscera complexa, sic dicta, quod* τοῖς χόνδροις ὑπόκειται. Quae fere repetit GORRAEUS *in definitionibus medicis* sub verbo ὑποχόνδριον: addit tamen, κατ' ἐξοχὴν *Hippocrati* ὑποχόνδριον *dici dextrum.* Quod etiam GALENUS *in Comm. ad III. Epid. T. III. Cl. III. p. 131. B.* notavit. Conferv. PROSP. ALPINUS *de praesag. vit. et mort. aegrotant. L. V. C. XI. p. 315. Ed.* BOERHAAV. et DURETUS *in Comm. ad Coac. Hipp. Cap. XI. 1.* Ubi bene monet, Epigastrium Hippocrati non distingui ab hypochondriis.

g) Ita CORNARII versio, quae Lindenianae *Hippocratis* editioni addita est, plerumque praecordia, si ὑποχόνδρια red-

quippe variis linguis accommodatius. Dividitur in dextrum, quod dextro ſpinae dorſualis, vel coſtarum marginis lateri, et in ſiniſtrum, quod ſiniſtro accumbit. Cui forte diſtinctioni haud male addi poſſet ea, quae aliud externum, aliud internum diceretur, hoc viſcera ſupra dicta, illud muſculoſam ab obliquis, transverſis et rectis abdominalibus texturam, interne peritonaeo, externe cute veſtitam comprehenderet. Quae quidem ad deſcriptionem praecordiorum arbitramur ſufficere. Quid enim addi poſſet iis, quae *illuſtris et generoſiſſimus* A. v. HALLER, *Praeceptor aeterna obſervantia colendus*, cum in ſuis, quas vocat,

reddenda ſunt, habet. FOESIUS tamen et DURETUS hypochondria etiam latine dicunt. ARETAEI incertus interpres plerumque praecordia vertit. Qui *Galenum* transtulerunt, doctiſſimi viri, interdum ὑποχόνδρια, interdum φρένες per vocem *praecordia* reddunt. Nunquam vero memini me invenire, ſi διαφράγμα textus graecus habeat, praecordia reddi; ſed ſaepius φρένες ita verti. Ubi ſimiliter THEODORUS GAZA, homo graecarum litterarum et latinarum peritiſſimus, in verſione *Ariſtotelis, de Part. animal. Lib. III. c. X. Edit. Pariſ. T. I. p. 1014.* διάζωμα *diaphragma*, φρένες *praecordia* interpretatur. Suſpicari licet, praecordia diaphragma ideo dici, quia virtute quadam animi gaudere creditum eſt, unde a Graecis φρένες dicebantur. Quo ſenſu praecordia eo magis reſpondent, cum cor non raro pro ſapientia, amore, aliisque adfectibus animi adhibetur. Inde Scipioni Naſicae Corculi cognomen inditum, ob ſapientiam, quae in eo eſſe inſignis putabatur. PLINIUS cum aliis, *ſedem hilaritatis in praecordiis eſſe*, ait, *et trajecta ea in ludis mortem cum riſu attuliſſe. H. N. XI. 77.* Quem etiam riſum, ab herba ſardoa, quae ſimilem habere vim

cre-

cat, *primis physiologiae lineis h*), tum *Commentariis in* H. BOERHAAVII *Institutiones i*), tum etiam *Iconibus anatomicis k*) circa fabricam et partes praecordiorum omni doctrinae, artis et diligentiae splendore insignia, edidit? Huc vero ea transferre, quamvis facile sit, putamus fore supervacaneum.

§. 3.

Quodsi vero omnium, quotquot mortalium praecordia invadunt, morborum rationem persequi, eorumque praesagia enarrare vellem, uberrimam dicendorum materiam non caperent brevis dis-

credebatur, sardonium dictum, in paraphrenitide, ab inflammato septo transverso, inter deliria oriri putabant. Etsi plerique medici etiam tum non diaphragmati deliriorum illorum rationem, sed cerebro esse tribuendam intelligebant. Certe quod PLINIUS ait, quia cordi praetendantur, vocari praecordia, fere ratione vacat. Nonne enim et pulmonibus et hepati et ventriculo, et lieni aeque praetenduntur? An a προπαρδίω vox nata sit, posses fortassis quaerere, quod JUL. POLLUX sic exponit: Προκάρδιον δὲ τὸ ὑπὸ τῷ στήθει ἐγκοίλιον, μαλακὸν, καὶ δαρκέδες κατὰ τὸ σῶμα τῆς κοιλίας (ὀνομάζουσιν). ὑπόκειται δὲ τῷ χόνδρῳ τὸ στῆθος, ὃ ἐστιν ὀστῶν ἐκπεφυκὸς τὸ στῆθος, καὶ λήγον εἰς αὐτὸ τὸ τὸ στῆθος ἄκρον ὀστῶν, ὃ καὶ ξυφοείδες καλεῖται. *Onomast. II. 164.* Et paullo ante, *n. 63.* τὸ ὑπὸ τὰς μασχὰς προκάρδιον, ait. Unde certe patet, praecordia, quae descripta sunt, hoc προκάρδιον comprehendere.

h) *Capitibus* inprimis XXV. ad XXVIII et XXXI. §. 731. Quibus addi WINSLOW potest, in *Exposs. anatom. Traité sommaire. T. III. p. 259. et Traité du bas ventre p. 363.*

i) *Ad §. 76. 77. 313. sequ. et 338. sequ.*

k) *Fasc. II. Tab. I. II. arteriae Coeliacae.*

dissertationis limites. Quanquam enim profligatus est nostra aetate, duce inprimis immortali viro, H. BOERHAAVE *l*), error ille perniciosissimus, qui ab Helmontio ad Franc. Sylvium *m*) indeque omnes, praeclaros ceteroquin ex ejus schola medicos traductus, ita eorum animos occupaverat, ut omnium fere morborum causas, a praecordiis, succo nimirum pancreatico et bile varie corruptis, repetendas esse statuerunt, nemo tamen negaverit, maximam difficillimorum morborum, quos chronicos dicunt, nec exiguam certe majorem partem, quam vulgo putamus, acutorum in visceribus praecordiorum conceptam latere, atque inde in totum corpus periculosissime interdum exundare. Ventriculus quam varia labe, quam vehementibus doloribus adfligit! Quis dolor atrocius saevit, quam ille in cardialgia? Prostrata etiam ciborum cupido in debilibus vel a natura recedens in pica gravidarum, vel denique vehementior in bulimo, quantas non pariunt tam aegris, quam medicis molestias? hepate deinde quae alia corporis humani pars frequentius difficiliusque laborat *n*)? sanguis enim, qui ex

l) vid. *Instit. med.* §. 102. Et ad eam commentantem *Ill. et Generosiss.* A. v. HALLER.

m) Vide inter alias per totum ipsius opus dispersas hac de re disputationes eam, quam habet *de febrium causis*, *Prax. med. L. I. c. XXX. n. 97. seq.*

n) Inde ARETAEUS *de caus. et sign. morb. diut. L. I. c. XIII.* de hepate ait: ἀτὰρ καὶ ἐν νέσοισι καὶ ἐς ὑγείην πολλόν τι ἰσχυροτέρην ἔχει τὸ θανάτε αἰτίην. Ὁκόσον ἓν ἦπαρ ἐς ἡγείην κρέσσον, τοσόνδε κάκιον ἐν νέσοισι. Καὶ γὰρ ἐπιφλεγμαίνει θᾶσσόν τε καὶ βιαιότερον, καὶ φίσεται ξυνεχέσερόν τε καὶ ὀλεθριώτερον.

omni inteſtinorum ambitu ad portas hepatis maxima copia adfluit, lentus, oleoſus, acris, ſalinus, qualem ſcilicet bilis inde ſecernenda requirit, facillime, inprimis in illa motus debilitate, poſt ſuperatas tot anguſtias, lenteſcit, haeſitat, obſtructionesque ac ſcirrhos demum generat, totiusque viſceris egregia munera perdit, et morborum fere inexpugnabilium fomitem accendit. Etſi enim officinam ſanguinis cum veteribus non ſtatuimus hepar, quippe qui ſuo ſe per vaſa motu ipſe perficit, tantam tamen in hoc viſcere mutationem ſubit, ut vix aliunde gravius, quam ab hepatis labe, adficiatur. Nonne chylus, ut et ipſe ex tam diverſis cibis confici, et naturam deinde ſanguinis, unicuique corpori propriam induere queat, id vel maxime bilis, quae ſeſe admiſcet, efficaciae acceptum referre debet? ex quibus quidem apparet, quanquam nullum fere ſit viſcus, quod ſalvum integrumque eſſe magis interſit, nullum tamen injuriis quotidianis intemperantiae omnis generis certius objici. Illos enim corruptorum ciborum ſtimulos meſaraicae venae facilius admittunt et ad hepar quodam viarum compendio advehunt. Hinc variae ciborum cruditates et illi putreſcentis carnium gelatinae acidis vegetabilium non rite temperatae halitus nocentiſſime ad portas hepatis feruntur, ac praeterea, quod huic ipſi bilique inde ſecernendae noxas ſuas inprimant, in ſanguinem quoque per cavae venae meandros infunduntur, eumque inflammatoriarum febrium, aliorumque morborum ſeminibus (o), in pulmone, cerebro, vel alibi haeſuris, foecun-

o) Diuturnis febribus labefactata et prava diaeta deſtructa viſ-

cundant. Quid, si istis ciborum vitiis potuum spirituosorum et aromatum ignes accedunt? sane eo usque hi omnia perdunt, et aestu suo adfligunt, ut etiam contra salutarem artis operam et medicamentorum benignas vires perdurent. Inde est, quod bilem in lapillos coactam folliculo suo inhaerere, et hepata fere lapidea invenias apud eos, qui vini spiritum ab aquosis suis et acidis partibus sollicite separatum, eorumque loco acerrimis Indiae oleis armatum, ut debili coctioni succurrerent, quotidie in vita sua absorpserant *p*). Quid de exercitatione dicamus, qua lentus per hepar humorum motus saluberrime adjuvatur, cui tot homines vel quia literarum studiis tenacius inhaerent, vel quia artis, quam tractant, ratio

viscera, malorum scenam pandunt. Jo. Jac. Wepfer *de adf. cap. p. 417.*

p) Licuerit huc transferre, quae ingeniose de hepatis et bilis negotio George Cheyne *in the Natural method of Cureing the Diseases of the body etc. p. 185.* scribit. *The Author of Nature*, inquit, *wisely foresaw, that human creatures would not always follow and continue in the Lightest and the Least, nor would be contented with vegetable food, and plain water, but would lust after the blood and the flesh of their fellow-creatures, and wallow in fermented, strong et spirituous liquours; and therefore to antidot the ill effects of such a Diet for some time, for a trial of their virtue, and to allow them the free use of their faculties for a season, intended the wonderful organ, the liver, the largest, most complicated and the most artificial in the whole machin, to draw and elicit, as by an alembic from the blood and juices, the most deleterious, and poisonous part of these high meats and drinks; and even to make the extracted bile useful, and necessary to concoct and purify the chyle from such strong aliment, and so of a real poison to make an useful antidot, at least for a time, and in youth-hood.*

sedendi necessitatem imponit, male sese subducunt? uti totius corporis fabrica ad motum laboremque natum esse hominem ostendit, ita praesertim hepar pericula a nimia quiete varie metuenda minatur. Provida ideo natura diaphragmati subjecit hepar, ut descensu suo motum conciliet, quem remota cordis actio in systemate vasorum bis venoso aegre sustentat *q*). Id est, cur equitationis tanta in tot aegris, et inter hos phthisicis, qui et ipsi plerumque simul ex hepate laborant, vis et efficacia a TH. SYDENHAM *r*) aliisque praedicatur. Adfectus vero animi, quemadmodum totius corporis vires frangunt, ita hepati singularem vim inferunt. Quod suo exemplo uberrime ii probant, qui ex vehementi ira statim icterici *s*) exstitere, vel qui a graviori luctu lethali alvi obstructione occubuerunt. Qui in castris veneris immoderatius sese exercent, quid illi colore suo subflavo et viridi, quem facie gerunt, aliud declarant, quam hepatis variam labem

q) Novimus enim, corculum illud abdominale *Glissonii* nullam movendi sanguinem vim habere, cum mere compactior cellulosa sit, posse. vid. *Comm. Ill. et Generosiss.* A. *de* HALLER ad §. 138. f. *Inst. Boerhaav.* it. §. 150. x.

r) *Op. p. 211 et 212.* Ubi in omnibus chronicis, inprimis vero colica biliosa equitationem laudat: et in *Diss. epistolari, ad Guil. Cole* p. 414. seq. ait, hypochondriacis phthisicisque plus prodesse, quam pretiosissima medicamenta. Conf. *Tractat. de podagra p. 457 et 469.* et G. CHEYNE *l. c. p. 270* icterum ait nulla meliori methodo curari, quam by a milk and seed diet, frequent and active vomits, saponaceous emulsions, with volatile alcalies, mercurial plaisters on the region of the liver, Bath-waters, and *constant Riding.*

s) v. Jo. NIC. PECHLIN. *Observ. med. L. III. c. 25. seq.*

bem intro diffusam? t) Lienem vero, quem plerumque minus ob laxitatem suam laborare putant, saepissime memini me scirrhosum et varie adfectum in cadaveribus videre. Ac profecto communia ipsi fere cum hepate fata experiunda videntur. Pancreas denique et ipsum facillime scirrhescere et aliis morbis tentari solere compertum habemus. Quis igitur non intelligit ambitum ex hoc fonte malorum? A variis enim ventriculi vitiis, ad hepatis morbos, ictcrum, calculum veficae felleae, et fluxum hepaticum quam pronae sunt et expeditae viae! dehinc adfectiones haemorrhoidales, et hypochondriacis mixtae melancholiae et maniae dicendorum seriem occuparent. Non minus hydropem atque oedemata pedum, plerumque a scirrhis hepatis profecta persequi liceret, tumque ad dysenteriam, a plurimis hepatis bilisque adscriptam, vitio pergere. Mox scena pateret febrium intermittentium, quae toties in visceribus praecordiorum sedem figunt, et, delusa corticis peruviani virtute, nullis facilius remediis, quam vomitoriis, vincuntur. Febrium deinde acutarum in sede praecordiorum defiagrantium ratio haud exigua esset habenda. Certe commoda et eleganti cum veteribus voce paraphrenitidem vocamus, acutam ab inflammatione in praecordiis nata febrem, quae inter deliria et non raro accedentia exanthemata purpurae vel petechiarum aliaque gravissima malignarum vulgo vel catarrhalium febrium symptomata ita decurrit, ut summam medici attentionem mereatur. Im-

t) Inde SANCTORIUS *cap. de Venere* n. XLII. *Coitus calefacit jecur, et refrigerat stomachum: a stomacho crudus succus, a jecore bilis in sanguinem redundat.*

mo ipsam forte pestem *u*) huc referre possem, et, ut alios exanthematicos morbos, sic inprimis variolas omnium primo praecordia invadere solitas, idque dolore, nausea, nisu ad vomitum, capitis dolore, aliisque, tanquam tot testibus confirmantes. Quid autem pestis aliud est, quam gravior variolarum, vel alius febris exanthematicae species? His tamen omnibus missis, praesagia tantummodo ea exponemus, quae in omnibus generatim morbis a praecordiis capi de vi atque pernicie morbi, auctore potissimum HIPPOCRATE, possunt. Itaque dolentia primum et inflammata, deinde pulsantia, tensa porro atque revulsa, tumentia demum et anxia persequemur. His enim potissimum signis nituntur omnia, quae de praecordiis tradiderunt. Ac sane, nisi quis cum vulgo ex urina solum vaticinari malit, vel polychrestis suis et arcanis omnem morbum, quisquis sit, et quam profunde lateat, expugnare speret, quod stupidorum est, vel fraudulentorum, dabit profecto operam, ut et aegri amicis et sibi maxime ipsi de gravitate et periculo morbi certa nixus ratione satisfaciat, et animo tum omnia alia, tum speciatim a praecordiis petita signa in omnibus suis momentis repraesentet; licet in levioribus malis idem gradus solertiae et attentionis non requiratur. Quo quis omni aevo medicus fuit in artis suae exercitio curiosior, eo ad tangenda explorandaque hypochondria aegrorum acutior accessit; nec defuerunt, qui inter artis arcana hoc magnum praesagiorum fundamentum referrent. Veteres omnes, si morbum graviorem describunt,

quae

u) Vide, quae de pestis symptomatibus TH. SYDENHAMUS exponit. *Op. Sect. II. c. 2. p. 109. etc.*

quae fuerit praecordiorum ratio, sollicite addunt, suique adeo exempli normam praebent. Sed HIPPOCRATES *x*) disertis verbis de iis observandis monet, ὁκόταν, dicens, δὲ ἔρῃ αὐτὸν, (ἀσθενέοτα) καὶ διασκέψῃ ταῦτα πάντα, πρῶτον μὲν κεφαλὴν - - - ἔπειτα ὑποχόνδρια καὶ τὰ πλευρὰ, εἰ ἀνάλγητα etc. In *Coacis* deinde *Praenotionibus*, ubi longo ordine recenset praecordiorum praesagia, en quomodo ad ea attendenda LUDOV. DURETUS hortatur! *y*) *Nulla*, inquit, *hypotheſis in medendo, nulla tecmarſis initur, quae hypochondriorum diatheſin non proponat. Deinde fundamentum curationis eſt hypochondriorum poſita, ut aſſolet, ad deliberandum adfectio. Nulla eſt morbi ſpecies, nulla idea, quae ad ſui cognitionem atque ſcientiam hypochondriorum diſtinctionem non habeat, etc.* Et PROSP. ALPINUS *z*) *in acutis*, ait, *morbis optimum erit ad ſalutem praedicendam, hypochondria optime obſervare.* LOMMIUS *a*), *multum obſervationis ex praecordiis haberi poſſe*, itidem affirmat. Severior etiam his hortator, GEORG. BAGLIVIUS *b*) *ſi medici*, inquit, *noſtri temporis omnium aegrorum hypochondria ſtatim tractarent, in morbis potiſſimum acutis, pauciores certe committerent errores, quam non faciunt ſpreta hypochondriorum obſervatione. Qui bene noverit hypochondriorum ſtatum in morbis, quam bene curare noverit! quam bene*

 prae-

x) *De victu acutor. XLVII. 1 - 3.*

y) *Comment. Lib. II. Cap. XI. 1.*

z) *de praeſ. vit. et mort. aegrot. L. V. c. XI. p. 326.* Ed. Boerhaav.

a) *Med. Obſ. Lib. III.*

b) *Lib. I. Prax. med. de obſ. hypochondriorum. Op. p. 62 et 63. Ed. Lugd.* atque alibi paſſim.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0193
DFG

praesagire! sed quid multa? res ipsa, si rationem experientiamque in testimonium adhibueris, loquetur. Habent, quemadmodum omnia praesagia *c)*, ita etiam ea ex praecordiis, suas atque hanc primam cautionem, ut, quae aegroto, inprimis si e sexu sequiori fuerit, debeatur modestia et reverentia, ea prudenter observetur. Magna enim medici a pudore *d)* commendatio est.

§. 4.

Ut igitur a dolore inflammatorum praecordiorum initium faciamus, quem maxime ad contactum aegri percipiunt, vix bene in recensendis ejus praesagiis versabimur, nisi, quae pars istas injurias ferat, accuratius perspexerimus. Ac illud quidem arbitramur extra omnem dubitationem esse collocatum, quod, si febre imprimis acuta, aestu sitique adflictus homo dolorem in praecordiis habeat, ille inflammationi ibi enatae debeatur. Nam in universum frequentior inflammatione non est in corpore humano doloris causa. Quodsi igitur dolorem, eumque etiam sine contactu acutius praecordia afficientem, vomitus, singultus atque aestus, fauces interdum adurens, comitantur, ventriculum inflammatum esse, manifestum est. Lienem ac pancreas nimis absondit situs profundior, ut tantum obscurum aliquem in imis praecordiis dolorem, inflammata si fuerint, producere possint. Accedit, quod raro hae

c) Vide de hac re sapientissime disputantem HIPPOCRATEM, *Prorrhet. II. III. 5. sequ.*

d) De qua pulcherrima extat oratio celeberrimi quondam in Academia Lipsiensi medici, Jo. ZACH. PLATNERI. vid. ejus *orationes academicas*, quas cum elogio ipsius *vir celeberrimus*, Jo. AUG. ERNESTI edidit.

hae partes solae affligantur. Intestinum duodenum, et colon transversum (quemadmodum quos colicos etiam in aliis intestinis vulgo dicimus), consimili ex perenni motu peristaltico ratione doloribus suis saeviunt. Ventriculo, an duodeno, an colo culpam tribuas, difficilius, nisi forte a celeriori ingestorum vomitu fauciumque aestu, inter haec definiveris. Diaphragma, etsi rarius ab inflammatione corripitur, omnino tamen potest. Sed inde respiratione maxime exacerbatur dolor. Plerumque autem ab inflammato hepate dolebunt praecordia. Nam cum lobo suo sinistro ultra cartilaginem costarum et sterni tum semper prominet, tum maxime, quando ab inflammatione et obstructione intumescit, facillime fieri potest, ut contactum dolor sequatur. Modice *e*) vero dolet aeger, et citra contrectationem fere nihil, praeter anxietatem, ibi sentit *f*) Quodsi vero tam iis tanta nascuntur incommoda, quorum per debilitata vel infarcta a crudis, lentis et oleosis humoribus viscera praecordiorum inertior motus est, quanto majora iis accident mala, quibus febris ex inflammatione humorum cursum perturbat! quid? quod vix alios ejusmodi febris prehendit, quam quibus jam a perversa vivendi ratione vitiata viscera fuerint. Sane nemo non videt, quemadmodum ibi hypochondri-

e) vid. *Ill. et Generosiss.* A. v. HALLER *Prim. Physiolog. Lineas.* §. 678.

f) Vide de dolore hypochondriorum, quas collegit observationes anatomicas THEOPH. BONETUS in *sepulchreto, Libr. III. Sect. XVII.* Ubi nonnunquam in ventriculo, liene et pancreate causa latuisse, plerumque vero in hepate reperta est. Nunc enim inflammatio, nunc cancer, nunc scirrhus, nunc vomica illud devastavit.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0195
DFG

driacos, ut vocamus, capitis, artuum, lumborum, dorsique dolor et gravitas, morosus et ad silentia secessusque proclivis animus, colica, spasmi, adpetitus prostratus, obstructio alvi, oedemata pedum, et alia infestant; ita hic iisdem atrociora quaeque, ut deliria, anxietates, artuum jectitationes, vigilias, sitim vix compescendam, aestum internorum, dum frigent extrema, sopores demum et alia plerumque exitialia symptomata esse exspectanda. Igitur HIPPOCRATES *g*): Οἷσιν, ἀπυρέτοισιν ἐȣ̃σιν, ὑποχονδρίȣ καὶ καρδίης πόνος, καὶ περὶ σκέλεα καὶ τὰ κάτω μέρεα, καὶ κοιλίη ἐπῆρται, λύει φλεβοτομίη, καὶ κοιλίης ῥύσις. πυρέξαι βλαβερὸν τȣ́τοισι. μακροὶ γὰρ οἱ πυρετοὶ καὶ ἰσχυροὶ γίγνονται, καὶ βῆχες, καὶ πνεῦμα, καὶ λυγμοί. Et phreniticorum vix unquam imaginem expressam dederit HIPPOCRATES, quin dolores praecordiorum adjungat. Ita, οἱ κωματώδεες ἐν ἀρχῆσι γενόμενοι μετὰ κεφαλῆς, ὀσφύος, ὑποχονδρίȣ, τραχήλȣ ὀδύνης, ἀγρυπνεόντες, ἦ ῥά γε φρενιτικοί; *h*) Hinc in omnibus morbis mollia et doloris expertia praecordia laudat; φλεγμαῖνον δὲ, addit, ἢ ἀλγȣ́μενον (ὑποχόνδριον) σημεῖον ἐςὶν ἀῤῥοςίης ȣ̓κ ἐυήθεος *i*). Et in universum οἱ ἐξ ὑποχονδρίων ἀλ-

g) *Coacar. Praen. II. 261. seq.*

h) *Prorrhet. l. 1. Coac. Praen. II. 36.* conf. *Epidem. I. aegr. XI.* aliique, quorum phrenitis describitur. Consentit cum *Hippocrate* CELSUS *de medic. II. 7. Praecordiis duris et dolentibus si quis raro et vehementer spiret, venasque concitatas habeat, insania metuenda est.* Et *cap. sequ. periculum mortis* adfirmat *adesse, si praecordia inflammata sint.*

i) *Coacar. II. 224. et Prognost. V. 11.* Quae suis confirmat sententiis GALENUS *in comm. ad l. c. Prognost. Op. cl.*

ἀλγήματος πυρετοὶ κακοήθεες *k*). His vero potissimum rationibus niti periculum ab his morbis metuendum videtur. Facilius primo hepar, quam reliqua omnia viscera, in gangraenam ab inflammatione vertitur. Quod quidem ob crassum, feculentum, et oleosum sanguinem, et ipsam bilem, quae hepatis angiportus replent, perque moram et aestum in plenam putredinem facillime ruunt, accidere videtur *l*). Deinde idem alcalescens cruor in vasis mesaraicis portisque hepatis hae-

cl. IV. p. 195. E. et CELSUS *de medic. II. 3. si praecordia aegroti sine ullo sensu doloris sint et mollia, hujus valetudinem et spatium habere et tutam esse* ait: *Cap. 4.* addit, *mali morbi testimonium praecordia inflammata et dolentia.* conf. DURET. *ad Coac.* et PROSP. ALPINUS *de praesag. vit. et mort. aegrotant. L. V. c. XI.*

k) *Coacar. Praenot. I. 48. Prorrhet. I. VII. 6.* ad quem locum commentans GALENUS male, ut saepius, *Hippocratem* perstringit, quod non manifestius, quid per hypochondria intelligat, dixerit. Nam ab integumentis febrem coortam nullius periculi esse, quo majoris fuerit ex visceribus praecordiorum inflammatis. Quod quidem nemo non statim, si *Hippocratem* legat, sponte intelligit. Adfirmat autem *Galenus*, omnes inde in Epidemior. libris legi periisse. *Op. cl. IV. p. 172. et cl. III. p. 135.* Conf. *Duret. ad Coac. Hipp.*

l) HIPPOCRATES quidem *Coac. Praen. II. 254.* ὅσιν, ait, ἐν ὑποχονδρίῳ φλεγμονὴ ἀποπυητικὴ ἐσιν, πρὸ τῶν θανάτων μέλανα διαχωρέει. Sed facile persuadeor, haec gangraenosa potius hepatis liquamina esse, vel atri certe sanguinis in vasis abdominalibus collectam molem. Neque omnem in hepate suppurationem negare animus est, quam probe sciam dari et saepius a fide dignissimis esse repertam, licet pejoris, quam alia quaecunque, indolis vid. *Theoph. Bonet. l. c. obs. 2, 3.* conf. *Boerhaav. Aph. de cogn. et cur. morb. §. 914.* sequ. *de ictero multiplici et hepatitide.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0197
DFG

haerens, vel ad cavae venae in illo viscere propagines pressus, tum proximis omnibus partibus tum pulmonibus et capiti, toti denique sanguinis latici nocentissime adspergitur. Non solum enim ubivis ad angustias cerebri, pulmonum aliarumque vitalium partium corrupti sanguinis undae haesitant, quo febrili impetu fuerint propulsae, sed omnem fere resolventium, attenuantium temperantiumque remediorum vim eludunt. Ipsa venaesectionis egregia ceteroquin virtus, quam revulsionem dicunt, exigua ad arteriam hepaticam, et fere nulla ad venam portarum pertingit. Inde certe fieri videtur, ut, quem secta vena brachii exiguo cum aegri levamine detraxeris sanguinem, eum sano similem *m*), quippe relictis in intimis praecordiis noxis, invenias: e contrario vero tantum emolumentum haemorrhoidum fluxus *n*) in istis febribus hypochondriorum afferat, ut promovere naturae beneficium peritus medicus hirudinibus, vel alia arte soleat. An nervis denique in his locis, et hinc sanguinis perverso motui, spasmisque ad cerebrum morbi vim determinantibus, aliqua periculi pars tribuenda sit

m) In quo tamen cave decipiaris orificio vulnusculi ab elastico illo, quod ignavia excogitavit, instrumento inflicti. Inde enim destillans facto in cute rivulo sanguis crassiorem suam relinquere partem cum damno aegri videtur. Certe jam SYDENHAMUS in pleuritide hoc crebro contingere observavit. v. *Sect. VI. c. 3. de pleuritide, p. 264.*

n) Hinc ita HIPPOCRATES, *Coac. Praen. II. 265.* ὅϊσι πόνοι ὑποχονδρίων, παρδίης, ἥπατος, τῶν περὶ ὄμφαλον μερῶν, αἵματος διαχωρήσαντος σώζονται, μὴ διαχωρήσαντος δὲ, ἀνήσκουσι. Confer. *de Crisib. X. 9.* Ubi atrabilariis phrenitide adfectis bonas esse haemorrhoides adfirmat.

sit o), ii tantum dubitabunt, qui hunc fontem malorum in omnibus febribus ignoraverint. Est igitur sane, quod periculi plenam rerum faciem habeas, si dolorem inflammationemque praecordiorum in aegrotante, inprimis acutius, deprehendas. Peaeterea patet, ea, quae dicta sunt, si quis abjectis praejudicatis opinionibus perpendat, atque iis legitime conferat febrium malignarum, cum simplicium, tum catarrhalium malignarum, petechizantium et aliarum descriptiones, eum has ipsas ἐξ ὑποχονδρίε ἀλγήματος natas febres mutatis, forte praeter rem, nominibus agniturum esse. Sed longum foret, his inhaerere. Non minoris momenti sunt alia HIPPOCRATIS de hypochondriis dolentibus praesagia. Ac primum quidem hoc: Τὰ ἐγκα. λιμπανόμενα καύματα ἐν ὑποχονδρίῳ, πυρετῷ περιψυχθέντος, κακὸν ἄλλως τε, καὶ ἢν ἐφιδρῶσι p). Pertinet enim ad easdem praecordiorum febres. Nempe ubivis fere aequalem esse debere per aegrotantium corpus calorem HIPPOCRATES contendit, in pessimis e contrario habens q) extrema frigida aestuantibus internis. Quo

o) Nonne hinc quoque tanta opiatorum prudenter exhibitorum in his febribus efficacia?

p) *Prorrhet. I. 1. 8.* Conf. de hoc effato *Dissert. Generos. de Berger. Goettingae, 1750. §. VIII. p. 33.*

q) vid. *Prognost. VIII. 11. 12. XIV. 9.* et inprimis hoc, *Coac. I. 165*, ἐν ὀξεῖ τὰ μὲν ἔξωθεν περιψύχεσθαι, τὰ δὲ εἴσωθεν καίεσθαι, καὶ διψεῖν κακόν, *et Aph. IV. 48.* ubi eadem habet, θανάσιμον ait. Inde etiam CELSUS II. 4. *mali* inquit *signum esse morbi, ventre et lateribus calentibus, caput, pedes et manus frigidas habere; aut frigidas extremas esse acuto morbo urgente.* Conf. PROSP. ALPINUS *de praes. vit. et mort. aegr. II. 13.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0199
DFG

Quo sane nihil potest esse neque rationi, neque experientiae magis consentaneum. Nam sparsis antea militibus, ubi nunc in unam manum collectis ipsam vitae arcem invadit violentissima febris, uno quasi incendio vastat interna: quo tempore sudores leves et frigidi r) ad perniciem magis, quam salutem ex cervice, capite vel collo aliisque partibus externis languide emergunt. Sed et haec notatu dignissima ex dolentibus praecordiis prognosis: Τὰ καὶ ὀσφὺν, καὶ τὸ λεπτὸν s) χρόνια ἀλγήματα, καὶ πρὸς ὑποχόνδριον πόνοι, ἀπόσιτοι t), ἅμα πυρετῷ, τέτοισιν ἐς κεφαλὴν ἄλγημα σύντονον ἐλθὸν κτείνει ὀξέως, τρόπον σπασμώδεα u) Quod quidem de iis hypochondriacis dicitur, in qui-

r) vid. de his sudoribus Hipp. *Coac. I. 69. IV. 4. de Crisib. VIII. 1. etc.* conf. Galenus *in Com. I. ad I. Prorrhet. Hip. Op. Cl. IV. p. 164. A.* Celsus quoque attendere jubet in omnibus morbis, an calor in fronte sit, ex imis praecordiis natus. *Lib. III. c. 6.*

s) Quid significet λεπτόν, bene Duretus ad hunc locum explicat. Nempe regionem lumborum, ubi tenuissimum corpus. Inde alio nomine etiam κενεῶνες vocantur.

t) *Sine siti*, ubi nempe sitis praeter rationem cessavit, lethali semper omine, ut multis locis adfirmat Hippocrates, vid. *Prorrhet. I. VII. 6. Coac. I. 87.* Conf. etiam de voce ἀπόσιτος Galenus *in Com. ad III. Epid. Op. Cl. III. p. 148. A.*

u) *Coac. Praen. III. 17. Prorrhet. I. XIII. 7. Prognost. XIX. 1.* Quae confirmantur *Aph. VI. 56* Τοῖσι μελαγχολικοῖσι νεσήμασιν ἐς τάδε, ἐπικίνδυνοι αἱ ἀποσκήψιες, ἢ ἀπόπληξιν τὲ σώματος, ἢ σπασμὸν, ἢ μανίην, ἢ τύφλωσιν σημαίνεσι. Cujus quidem lethalis decubitus exemplum in venerabili quondam hujus academiae et urbis viro nuper vidimus. Adde *Aphorism. Boerh. §. 1010. et 1015.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0200
DFG

quibus post irrita sanguinis per haemorrhoides molimina hepar acute laborans ad caput convertit atrae bilis impetum: mox funesta apoplexia inter tremores aliosque spasmos huic malo familiares supervenit. Quemadmodum autem ascensus morbosi a praecordiis ad caput pernicioſus est, ita nec descensus periculo vacat. De anginosis enim, ita HIPPOCRATES, Ἐκ πυναγχικῶν ἀκρίτως ὑποχονδρίῃ ἄλγημα μετὰ ἀκρασίης καὶ νωθρότητος γενόμενον, πτείνει λαθραίως, ἢ καὶ πάνυ δοκοῖεν ἐπιεικῶς ἔχειν x). Nempe ubi anginosus circa apicem morbi sui incommoda deglutitionis et respirationis sine criticis per consuetas vias excretionibus amiserit, ex dolore ad praecordia oriundo, sub levi febricula, quae tamen caput gravat, tacitisque deliriis urget, debilitato jamjam et novis ferendis injuriis impari corpori praeceps in exitium periculum imminet. Sed et unde sanguis in haemoptöe feratur ex dolentibus praecordiis, cognoscere licet. Nam, ὅσοι, ait HIPPOCRATES, αἷμα ἀφρώδες πτύουσι πονέοντες ὑποχονδριον δεξιὸν, ἀπὸ τῦ ἥπατος πτύουσι, καὶ οἱ πολλοὶ ἀπόλλυνται. y) Disputatum est multum de sputis pleuriticorum. Plura fortassis de his possent. Elapsus ex vasis hepatis ruptis sanguis non ad asperam arteriam, sed in cavitatem abdominis, aut in ductus biliarios debet effundi. Nisi igitur τὸ πτύειν per vomere reddere volueris, a pulmonis dextri inferiori parte eductum sanguinem praecor-

x) *Coac. Praen. III. 114.* Sane mirabile est, omnes anginae decubitus periculosos esse; a quo et pulmones suppurari HIPPOCRATES *Aph. V. 10.* adfirmat.

y) *Coac. Praenot. III. 216. 273.*

cordiis dextris dolorem inferre, quem hepati HIPPOCRATES tribuit, ſtatuere oportet. Quod ſane ob viciniam et obliquitatem pulmonis extremi ſecundum diaphragma deſcendentis facillime fieri poteſt. Accedit, quod, qui ſanguinem ſpuunt, frequenter viſcerum abdominalium variam labem habere deprehendantur. Ab hujusmodi, vero ſanguinis rejectionibus febris, eaque cum pernicie afflicti interdum ſatis acuta; lenta deinde et phthiſica, qua plurimi, inprimis juniores, pereunt, ſequitur. Non ſolum autem, dum dolent, praecordia praeſagia noſtra inſtruunt, ſed et ubi dolere praeter rationem deſierunt. De quo ita HIPPOCRATES z): ἀι ἐν πυρετοῖσι πρὸς ὑποχόνδριον ὀδύναι ἀναίσσουσαι, ἀνιδρωτὶ λυόμεναι κακοήθεες. Nimirum ſi nullus ſudor criticus, qui aliis ſeſe criſibus plerumque jungit, doloris cauſas expulerit, manifeſtum eſt, vel ſenſum aegri obtorpuiſſe, vel in gangraenam, aut ſuppurationem partem inflammatam abiiſſe; id quod pleuritici quotidie ſuis exemplis probant. Cumque deinde dolor, etiam dum totum pulmonem purulenta tabes exedit, vix ſentiatur aegro, gravia quaeque, nempe ab inflammatione recenti metuenda tum, cum de dolore queri incipit. Quod his HIPPOCRATES confirmat: Τοῖσι κατὰ ὑποχόνδρια, καὶ πνεύμονα

z) *Praen. Coac. II. 271. et Prorrhet. I. XI. 9.* Ubi male Lindeniana verſio apponit *ſine voce*. Quod hic quidem in graeco textu non exſtat. Video autem in *Coac. II. 267.* illud ἀναύδω *Hippocratem* adjeciſſe: quod forte erroris materiam praebuit. Sed et ipſe GALENUS in *Comment. ad Prorrhet. I. c. Cl. IV. p. 177. A. B.* non ſolum *ſine voce* addit, ſed et *cum ſudore*. Quibus cum plane contraria habeat *Hippocrates*, immerito ab ipſo reprehenditur.

μονα πόνοισι ἐμπυομένοισι, κακόν a). Hinc enim oriunda febris vehementissima cum deliriis, quam vix in tam exhausto corpore exspectes, suprema vitae tempora accelerat. Inprimis autem refert, ut ea, quae interdum salutem aegris afferunt, quibus conditionibus contingere debeant, recte pernoscamus. Nihil enim magis medici fiduciam minuit, quam si bona ominatur a symptomate, quod in perniciem aegri tendit. Alvi profluvia saepe ab exitio liberant mortales, saepe eosdem occidunt. Pertinet igitur et ad haec discernenda dolor praecordiorum. Nam sic HIPPOCRATES, quem merito omnibus anteponendum, et instar adeo omnium habendum putamus, de eo loquitur: ἐς ὑποχόνδριον, ἀλγήματα ἐπιπίπτοντα ἄλλως τε πονηρὸν, καὶ ἦν κοιλίας καδυγραίνῃ b). Nimirum haec est illa diarrhoea, quam ex corrupti et putridi hepatis colluvie, in intestina effusa, nasci brevi ante mortem observamus. Alioquin enim et haemorrhoidali fluxui dolores praecordiorum accedunt. Quo quidem hoc referendum puto: ὅϊσιν ἀπὸ ὑποχονδρίων ἀλγήμασι κοιλίη κατὰ μικρὸν ὑπόγλιχρα διαδιδοῦσα, βραχέα κοπρώδεα ἐκχέοι, ἦ ῥα καὶ αἱμορῥαγεῖ c); Quod plane videtur de haemor-

N 2

a) *Praen. Coac. II. 114.* Quibus conveniunt ea, quae ARETAEUS *de caus. et sign. morb. chron. I. 9.* ita habet: ἦν δὲ ἥδε (φλεγμασίη) εἰς γέννεσιν ἴκῃ πύε, πάντα μέγιστα. Et paullo post descripta omni phthisicorum conditione adjicit: ἦν δὲ ἐπιπυρεταίνῃ, ἀνέλπιστος.

b) *Coac. Praenot. II. 247. et 272.* ait, *alvum post dolorem praecordiorum erumpentem lethalem esse.*

c) *Coac. Praenot. II. 260.* conf. *Prorrhet. I. XXI. 3.* Ubi, ut

morrhoidibus primum mucosis, quas vocamus, deinde cruentis dici, inter tenesmos et dolores hypochondriorum erumpentes. Nam nunquam nisi impedita sanguinis per hepar via ad hoc profluvium natura sese vertit. Ex quibus apparet, quamvis magnorum commodorum ferax sit haemorrhoidalis fluxus, semper tamen ex viscerum varia labe et vitiis morbosum esse. Inprimis illud arbitror egregium et esse plane utilissimum, quod de dolore divinus SENEX ait, qui praecordia praegnantium adfligit: Τῆσιν ἐπιφόροισιν ὑποχονδρίῃ ἄλγημα κακόν d). Nimirum nihil abortu periculosius gravidis, praesertim circa tertium vel quartum mensem, contingere potest. Saepissime autem eum menstrua cumulatius illo tempore ingruentia efficiunt. Quorum quidem inter signa, quae praecedunt, etiam dolores praecordiorum esse constat, et ab ipso HIPPOCRATE alio loco e) referuntur. Patet periculi a dolore praecordiorum gravidis metuendi ratio. Quodsi vero febris adeo huic dolori sese junxerit, nemo non intelligit, quantum simul periculi magnitudini accedat. Inde eodem loco HIPPOCRATES: καὶ τὸ ἐπιῤῥιγῆν ταύτῃσι κακόν; h. e. febre corripi acuta, quarum initium semper frigus cum rigore pro violentia morbi facit. Felicioris ominis dolores praecordiorum citra febrem ingruentes ha-

ben-

ut magis vitiati hepatis culpam in fluxu haemorrhoidali intelligas, subicterico, ἰκτεριώδεος dicit, qui eo laborent, interdum esse.

d) *Praen. Coac. III. 415.*

e) *Prorrhet. II. XXXV. 4.* Nempe a plethora vasorum abdominalium, et versus hepar compulsi sanguinis causa dolor ille nascitur.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0204
DFG

bendi. Quod his tradit HIPPOCRATES *f)* Τὰς ἐκ ὑποχονδρίων πόνας τὲ καὶ κυρτώματα λύει βορβορύγμος ἐγγενόμενος ἐν τῷ ὑποχονδρίῳ. Quem fugit, hypochondriacis saepe ab obstructione, vel flatulentis cibis, vel aliis spasmis dolores praecordiorum nasci, quos vel spontanea alvi solutio vel lenia cathartica vincunt? Quid vero? cum dicit, ὁκόσοισι περὶ τὸ ὑποχόνδριον πόνοι γίγνονται ἄτερ φλεγμονῆς, τετέοισι πυρετὸς ἐπιγενόμενος λύει τὸν πόνον *g)*. Scilicet intermittentium febrium haec salutaris vis est, ut lentis humoribus obstructa viscera moderato suo, quem excitant, calore motuque, quo sanguinem impellunt, citatiori aperiant, cruditates solvant, coquant et sudoribus evehant: ut ideo gravissime adflicturus sis hujusmodi aegrotos, si corticis peruviani praematuro usu beneficos febris motus inhibeas. Non possum hanc de doloribus praecordiorum materiam relinquere, quin adjiciam, CELSUM *h)* ad signa instantis valetudinis eos referre. Nempe plurimi morbi ex abdominis et primarum viarum, quas scholae vocant, vitiis nascuntur. Quid igitur mirum, si omnium primo ibi vim suam dolore quodam interprete ostendant? Sed haec quidem de praesagiis ex dolore praecordiorum suffecerint. Plurima enim, quanquam facile poterant ex iisdem hausta fontibus addi, cum longum videretur nimis, rectius omittenda credebamus.

Dulcius ex ipso fonte petuntur aquae.

f) *Prognost. X. 14.* conf. *Praen. Coac. II. 240.*

g) *Aphorism. Sect. VI. aph. 40.* CELSUS *L. II. c. 8.*

h) Vide *Lib. II. c. 2.* quod plenum hisce signis invenies.

Universitäts Bibliothek Rostock http://purl.uni-rostock.de /rosdok/ppn1039804454/phys_0205 DFG

Noſtro autem ſcopo nihilominus ſperamus ſatisfeciſſe, quo docere animus eſt, non ſolum ad prognoſin, ſed et ipſam medendi rationem *i*) explorata praecordia plurimum conferre.

§. 5.

Tranſimus ad pulſum praecordiorum, quem interdum apud aegros admotae manus percipiunt. Nonnulla enim et de hoc HIPPOCRATES digniſſima notatu praeſagia conſentientibus aliis veterum auctorum tradit. Vaſa arterioſa, quanquam ibi perpetuo micant, nunquam tamen in recte valentibus ob mollitiem loci, craſſiora integumenta et placidum tunc ſanguinis per ea motum, externo attactu, vel obſcure tantum ſentiuntur. Qui re-

i) Paucula de vomitoriis, quae CELSUS aliique frequentiſſime in doloribus praecordiorum propinare jubent, addemus. Eſt ſane vomitorium inter potentiſſima et ſalubertima remedia habendum: ſed ſub juſto limite. Sane, quod de miſſione ſanguinis CELSUS ait, *ſanguinem inciſa vena mitti, novum non eſt, ſed nullum paene morbum eſſe, in quo non mittatur, novum eſt*, non minus ad vomitoria pertinet. GE. CHEYNE, Anglus, quam vehementer vomitoria laudat! *I am bold*, inquit, *to ſay, no operation, remedy or antidote in phyſic is ſo univerſal, ſpeedy and effectual, as vomits.* Et paullo poſt: *I know not the name or kind of a diſtemper afflicting the animal machin, where vomits are not beneficial ſalutary and of efficacy*, etc. habet enim laudum cumulum. v. *The Natural Method of cureing the diſeaſes of the body etc. Part. III. c. I. §. 3. p. 144.* Huc profecto trahas, quod LIVIUS ait: *dum in praeſenti gaudio eſt animus, nihil admittit, quo vanum gaudium fiat.* Ita enim dum in amore et admiratione remedii ſunt medici, nihil, quod ejus laudem imminuat, vel uſum coerceat, admittunt. In acutis morbis

recordatus fuerit, quam facile ſenſus noſtri adſueſcant, quibus perpetuo tamen moventur, impulſibus, et quod in nulla parte, niſi ad obſtructum inflammatorium, percipiantur, facilius adhuc rationem, cur valentium praecordia non pulſent, perſpiciet: aegri vero moleſtum ſibi iis in locis pulſum eſſe queri ſaepe ſoleant. Ne cum cordis palpitatione confundatur, facilis quidem ea, ſed aliqua tamen cautio adhibenda. Singularis vero arteria, gaſtroëpiploica dextra *k*), an arcum, quem dicunt, majorem ventriculi, ſaepius diſtendi ab aëre ſpaſmis intercepto ſoliti, tremere et pulſare faciat, ego quidem non definiverim. Magni ſunt coeliacae et meſentericae ſuperioris cum ipſi trunci, tum rami alii, quo-

 rum

bis cautum omnino vomitorii uſum requirit corpus jam vi morbi concuſſum, non vi remedii magis concutiendum. Haerens in viſceribus cum crebra inflammatione ſanguis fefellit Sydenhamum in uſu remedii, quod tunc, cum res ſecus ceſſerit, opprobrio non vacat. Eadem in dolore praecordiorum ratio obtinet, ſi acuta ab inflammatione loci febris fuerit. Plus hic efficies temperantibus ordinariis, acidis et ſaponaceis vegetabilium ſuccis, inter juſtas venaeſectiones, et maxime forte hic ab omni antiquitate laudata fomenta, clyſmata, et pediluvia. Quibus opiata, et lenia diaphoretica, et camphorata circa vigorem morbi addere ſub juſto regimine licuerit. Ubi vero hae conditiones non obſtiterint, mobilior adhuc materia morbi fuerit, vel ubi plane nulla, aut intermittens febris, efficaciſſimi remedii uſum nemo jure reprehendere poterit.

k) vid. *Icon. anat. Illuſtr. de* Haller *Faſc. II. Tab. I. et II. atr. coeliac.* Conf. *Prim. Phyſiolog. Lineae*, §. 625. quoque in adfectionibus ventriculi pulſum praecordiis ineſſe dicit, *de cauſ. et ſign. morb. chron. L. II, c. 6.* Tum vero

rum ictus, dum validius et celerius contra obstaculum sanguis fertur, omnino ad integumenta usque musculosa abdominis pertingere, externoque contactu sentiri possunt. Accedit, quod cum hoc pulsu plerumque conjuncta sit tensio praecordiorum, de qua deinceps agemus, ut adeo facilius arteriarum subjectarum motus recipiant et contactui externo offerant. Patet certe ex his, magnam et amplam in praecordiis inflammationem requiri, ut pulsare *l*) et palpitare observentur *m*). Erit igitur plerumque, immo semper cum dolore (nisi forte, quod fieri certum est, jamiam obstupuit ad sensum ipsius aegri animus) et aliis gravioribus praecordiorum incommodis conjunctus, eorumque praesagia confirmabit. Inprimis vero deliriorum individuum comitem et nuncium sese praestat nunquam fallacem, ut adeo nullus fere sub febre acuta deliret absque hoc pulsu

vero apparet, non amplius ad chronica mala, de quo agit, esse referendum. Habet eundem pulsum in inflammatione, cujus curationem, *Lib. II. c. 7. de morb. ac. cur.* describit, τῆς νωτιαίας φλεβὸς, quam recte monet PETR. PETITUS κοίλην HIPPOCRATEM vocare; nam ipse adeo ARETAEUS in *caus. et sign. morb. acutor. II. 8.* τὴν κατὰ τὴν κοίλην φλέβα, ὀξείην νόσον vocat. Eam vero CAELIUS ARELIANUS *de morb. acut. I. 8.* dicit a quibusdam inter causas phrenitidis referri. Quod omnino res ipsa declarat, si *Aretaeum* legas. Simul vero inde apparet, vehementiorem hunc esse pulsum, quam ut uni tantummodo arteriae tribuatur.

l) σφυγμὸν et παλμὸν promiscue etiam Hippocrates dicit. Quod FOESIUS quoque adfirmat.

m) Singulare pulsus praecordiorum exemplum a liene crassiori circumdato tunica habet THEOPH. BONETUS in *sepulch. L. III. Sect. XVII. obs. 16.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0208
DFG

ſu aeger *n*). Ideo phrenitidis, quae acutis malis ſupervenit, et prodromus eſt, et index fide digniſſimus habendus. Quaeuti experientia unumquemque facile docuerit, ita ab HIPPOCRATE eadem diſcere poterit. Nam σφυγμὸς, ait, ἐν ὑποχονδρίῳ μετὰ θορύβε, παραφρενικὸν *o*). Et alio loco, poſtquam molle et doloris expers hypochondrium laudavit, inflammatum vero et dolens damnavit, εἰ δὲ, inquit, σφυγμὸς ἐνείη ἐν τῷ ὑποχονδρίῳ, θόρυβον σημαίνει *p*). Silenus in *Epidemiis* ab initio morbi ſui, quem omnia evincunt fuiſſe phrenitidem, perpetuam hypochondrii pulſationem habuit. Sane, quocunque fiat vaſorum nervorumque commercio, nullae in praecordiis videntur naſci poſſe graviores turbae, quin inde caput adficiatur, atque deliret. Variolae nauſea, vomendi perpetuis nixibus, dolore etiam, ut rectiſſime SYDENHAMUS monuit, omnium primo praecordia affligunt. Hinc capitis ſtatim dolor et febris nata vix unquam deliriis carebit,

n) In comate, quod plerumque, ubi ad mortem res aegri venerit, deliria ſequitur, pergit idem pulſus, atque adeo tunc, cum non raro medicus demum arceſſi ſoleat, praegreſſam morbi violentiam, praeſensque periculum ipſi egregie exponit.

o) *Coac. Praenot. II. 244.*

p) *Prognoſt. V. 13.* Ubivis autem HIPPOCRATES addit, oculorum inter haec rationem eſſe habendam. Qui ſi velocius moveantur, metum delirii vehementiſſimi eſſe (μανείνας ἐλπὶς ἐσι), ait, antea enim lenioribus vocibus utitur, παραφρενικὸν, θόρυβος et ἔκπληξις, quae minorem delirii gradum ſignificant. Contrariam oculorum adfectionem, τὴν πῆξιν τῶν ὀμμάτων aeque perniciosam declarat plurimis locis HIPPOCRATES, e. g. *Coac. II. 124.* ubi vid. DURETUS.

sub hoc ipso praecordiorum pulsu q). Praeter deliria vero pulsus praecordiorum interdum praesagit inter alia signa haemorrhagiam narium, inde forte, quia et ipsa deliria eam commoti sanguinis eruptionem, inter molimina ad caput locumque exitus, antecedere cum bonis ceteroquin signis consueſcunt. Quod cum plurimis locis HIPPOCRATES affirmet, unicum tantum hic afferemus, ubi οἱ κατὰ κοιλίην, inquit, ἐν πυρετῷ πάλμοι, ἐκκασίας ποιέουσιν, αἱμορῤῥόῃ δὲ φρικώδης r). Nam omnes, perfectae etiam criſes cum horrore aliquo, inprimis vero haemorrhagiae narium fiunt, quae ultimae febris exacerbationi, ex qua deinceps declinat morbus, junguntur, et aliquoties interdum repetunt, maxime, ſi neglecta ab initio ſanguinis miſſio fuerit. Generatim denique hunc pulſum praecordiorum mali eſſe ominis, affirmat HIPPOCRATES, ubi, καρδίης, ait, πόνος καὶ σφυγμὸς ὑποχονδρίων περετῆ περιψυχθέντος κακὸν· ἄλλως τε κ' ἦν ἐφιδρῶσι s). Quae in *Prorrhe-*

q) Sane eſt, quod credas, corculi Gliſſoniani abdominalis, de quo ſupra quaedam dicta ſunt, hunc ipſum pulſum materiam dediſſe, certe errorem nova argumenti ſpecie roboraſſe.

r) *Coac. II. 269. Prorrhet. I. XX. 15.* Per τὰ κατὰ κοιλίην, nemo non videt, hic praecordia intelligi: nec minus huc pertinere ea, quae de pulſu περὶ τὸν ὄμφαλον dicit. Nam et hic deliriorum praeſagus et dolorum in hypochondriis comes eſt. Ita illud habet, *Prorrhet. I. V. 1.* et *Coac. II. 273.* οἱ περὶ ὄμφαλον, πόνοι παλμώδεες ἔχουσι μέν τι καὶ γνώμης παραφορον. Conf. *Epidem. III. aegr. III. 50.* Multum hic forte refert, quomodo manum admoveas.

s) *Coac. Praenot. II. 246.* Conveniunt his, quae CELSUS de

rheticis dicit ἐγκαταλιμπανόμενα πνεύματα, hic per dolorem et pulsum praecordiorum exprimit. Nimirum febris huc omnem vim aestumque collectum dolor et pulsus, inflammationis perpetua indicia, etiam tunc prodent, cum ad externarum partium contactum mitior leniorque videbitur *t*): quam diximus supra περιψυχθέντα πυρετὸν esse. Omnia praeterea de dolore et inflammatione praesagia sibi pulsus praecordiorum quodammodo vindicat.

§. 6.

Dum dolor et inflammatio praecordia aegrorum interna infestant, haud raro simul tendi atque revelli externa consuescunt. Neque exiguum profecto est, quod inde morbo momentum accedit. Igitur ad hanc quoque praecordiorum conditionem veteres attenderunt, qui ἔντασιν, *s.* ξύντασιν τῶν ὑποχονδρίων inter symptomata et praesagia morborum graviorum ubivis fere memorant. Obscurum non erit, quid per tensa atque revulsa praecordia intelligamus. Eminente nimirum utrinque margine costarum spuriarum cartilagineo musculos abdominales eo loco ita retractos versus spinam dorsi *u*) exploratrices manus

de medicina II. 4. dicit, *Mali morbi testimonium praecordia inflammata - - - periculosissimum, si venae ibi quoque vehementer agitantur.*

t) Pertinet huc optimo suo jure illud egregie dictum apud HIPPOCRATEM, *Coacar. Praenot. II. 137.* πρὸς τὴν ἀφὴν μὴ περικάεες, φρενιτικοὶ γίγνονται, καὶ μᾶλλον, ἢν αἷμα ῥυῇ.

u) Eleganter haec ARETAEUS sub phthisicorum imagine exhi-

nus deprehendunt, atque omnia adeo indurata, ut nihil digiti, quod facile fit in naturali mollitie, coſtas ſubeat. Quae durities ſi non eſt, ſed mollitiei adhuc naturalis quaedam veſtigia ſuperſunt, ὑπολαπαρὸν ἔντασιν, HIPPOCRATES x) vocat. Nihil vero, vel certe parum a priori differt ea, quam ὑπομακρὸν ſ. παραμήκην y) dicit, ubi ab oſſibus inde pubis durities quaedam tenſionis indicia exhibet. Ac ſane vix unquam graviorum ſymptomatum infauſtum ſatellitium morbus habet, quin praecordia idem intendat atque re-

rehibet, *de canſſ. et ſign. morb. diuturn. L. I. c. 8.* dum dicit, eſſe ὑποχόνδρια λαγαρὰ, ἀνεσπασμένα, ἐπισγάσριον τῇ ῥάχει προσφυὲς καὶ λαγών. conf. FOESIUS, qui ex *Hippocrate* ὑποχόνδρια κατεξηρασμένα σφόδρως, ἢ ἴσχυρῶς ἀυχμώδη καὶ προσεσαλμένα, *reſiccata, ſqualida, contracta et depreſſa ex nimia ſiccitate* explicat in *Oecon. Hipp.* ſub verbo ὑποχόνδριον.

x) *Epidem. III. Sect. I. aegr. III. 18. et I. Sect. III. aegr. II. 12.* Ad quem locum GALENUS diaphragmate inflammato hanc ſubmollem tenſionem fieri autumat. *Op. Cl. III. p. 121. G. it. Cl. IV. p. 170. D.* Cujus ſententiam, ut videntur, ſecuti PROSP. ALPINUS *de praeſag. vit. et mort. aegr. L. V. c. XI.* GE. BAGLIVIUS *Prax. med. L. I. c. IX. de obſ. hypoch.* et LUD. DURETUS *ad Coac. Hipp. L. I. n. 55. it. L. II. c. XXVII. n. 10.* et alibi, eandem cauſam agnoſcunt. Verum ſi dicendum, quod res eſt, ad ſeptum transverſum non referenda iſta tenſio videtur. Nam, ut facili experimento patet, a ſumma exſpiratione retractum diaphragma nihil praecordia intendit. Deinde ſi inflammatum fuerit, tumorem potius hypochondriorum quam tenſionem efficiet. Quibus plane contraria Galenus ſtatuit.

y) *Epidemior. I. Sect. III. aegr. II. 12. Prorrhet. I. XX. 25.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0212
DFG

revellat. Quemadmodum vero certum est, ab inflammatis visceribus praecordiorum ad musculos abdominales transire z) labem, et hos in societatem morbi adducere; ita spasmorum hic inprimis vim, culpamque agnoscere debere videmur. De quo quidem eo minus dubitare licebit, cum spasmi ex utero hystericarum per hosce musculos fauces impetentes satis eorum in haec mala proclivem demonstrent indolem. Etsi non est, cur cum TH. SYDENHAMO a), solius sexus ratione diversam esse hypochondriacam hystericamque passionem, statuamus, quippe satis praeterea distinctam aliis symptomatibus; in multis tamen omnino atque hac ipsa tensione praecordiorum conveniunt. Videas in tenerioribus et imbecillioribus corporibus, quae facillime omnium haemorrhoidali vel hypochondriaco malo adultiori aetate tentari solent, ad leviora etiam, quae incidant, ut colicam, obstructionem alvi, cardialgiam, diarrhoeam continuo intendi atque revelli praecordia, ut pessima inde in acute febrientibus metuenda essent; sed facile ibi omnia levi artis opera ad naturam redire. Denique inflammationem aliquam hos musculos primario, rheu-

z) Consensus praecordiorum cum musculis abdominalibus satis ex vomitu patet. Variis deinde fibris circa costas diaphragma et musculi abdominales miscentur. Communis denique totius corporis ratio et hic obtinet, propinqua omnia suis et vasis et nervis jungi. vid. *Illustr. de* HALLER *Icon. anat. Fasc. I. Tab. Diaphragmatis*, et *Prim. Lin. Physiol. §. 287. Comm. in Inst. Boerh. §. LXXXVI. n. 12. 13.* conf. WINSLOW *Traité des muscles T. II. p. 164. — 166.* An epigastricis et mammariis vasis aliquid hic tribuendum, est sane, quod dubites.

a) *Dissert. epistol. ad Guil. Cole. Op. p. 388.*

rheumatiſmi cujusdam acuti ſpecie, invadere poſſe, nihil eſt, quod dubitare ſinat. Optime totius morbi ratio atque decurſus diſcrimen cauſae declarat. Quemadmodum autem ſub ceteris conditionibus non adeo magni momenti tenſio praecordiorum habenda eſt, ita in acutis gravitatem morbi et majora pericula nunciat. Quis enim non intelligit, turbatum per praecordia inflammata ſanguinis motum adhuc magis inhiberi ac paene ſiſti debere, cum intenſi et revulſi muſculi cavum arctent? In caput igitur prohibitus deſcendere ſanguis contendet, pulmones deinde occupabit, immo artus inferiores et imum ventrem adfliget morboſorum humorum plethora. Quae quidem ex tenſis praecordiis injuria etiam in aliis febribus, ut peripneumonia et pleuritide metuenda non parum morbum exaſperant. His certe nituntur omnia praeſagia, quae de ipſis veteres conſignaverunt. Ad phrenitidis igitur ſigna quemadmodum dolor et inflammatio, ita quoque tenſio ac revulſio praecordiorum pertinet. Ἐκ κοσμίȣ, inquit HIPPOCRATES, θρασεῖα ἀπόκρισις κακόν· φωνὴ ὀξεία· ὑποχόνδρια τȣτέοισιν ἔισω ἐιρύαται. *b*) Nihil nimirum certius, quam quod ferox moderati alioquin et modeſti hominis ad quaeſita reſponſum acutam phrenitidem imminere notat *c*). Nec minus vocem acutam et clangoſam

b) *Coac. I. 80. Prorrhet. I. VI. 7.*

c) Quod et CAELIUS AURELIANUS teſtatur *L. I. c. 2. et 3. morb. acut.* Ubi generatim quoque omnia dicit plurimum afficere, quae in morbis a natura recedant. Inde hilarem et cachinnoſum moeſtitia et iracundia gravius in aegritudine adfligi, ac, triſtes qui fuerint, periculoſius cum riſu delirare. Praeterea tenſa praecordia individuo co-

ſam inter ſigna phrenitidis alibi HIPPOCRATES refert *d*). Quae enim cauſa apud bene valentes voluntati ſubjecta elevando laryngem, ſtringendoque glottidis ligamenta acutam vocem efficit, eam nunc inflammatio, fauces phreniticorum, ut notum eſt, occupans, infauſto ſatis omine praeter voluntatem format. Immo dicta ferocia in reſponſis acutam vocem reddit, dum velocius aër per glottidem pulſus crebriores ejus oſcillationes parit *e*). Nonne omnes iratos acuta voce loqui audimus? Clarius vero ex his revulſorum praecordiorum injuria patet: κεφαλαλγιὴ ἐν ὀξεῖ, ὑποχόνδριον ἀνεσπασμένον, μὴ ῥυέντος τοῦ ἄιματος ἐκ ῥινέων ἐς φρενιτικὸν περιίσταται *f*). Hinc BAGLIVIUS *g*) horrendam dicit hypochondriorum tenſionem, ubi

comitari phreniticos. Quod et ARETAEUS, cujus dolendum intercidiſſe phrenitidis deſcriptionem, in curatione tamen, quae ſupereſt *L. II. c. I. de morb. ac. cur.* adfirmat, φλεγμονὴν τῶν ὑποχονδρίων, et ea commemorans, quae εἴσω ἦ, ἠδὲ ἄνω εἰρύαται, καὶ τὸ δέρμα περιταίνηται.

d) *Prorrhet. I. c. 10.* ὀξυφονίη κλαυθμώδης κακὸν, *Coac. I. 143.* αἱ παρεκπρόσιες, φονῆ κλαγγώδεες, γλώσσῃ σπασμώδεες, καὶ αὐτοὶ τρομώδεες γινόμενοι, ἐξίσανται.

e) v. *Illuſtris* de HALLER *Prim. Lin. Phyſiol. §. 324.* et *Comm. ad Inſt. Boerhaav. §. 628.* GALENUS *Comm. II. ad I. Prorrhet. Op. Cl. IV. p. 120. D. E.* non male dicit, vocem acutam reddi ob retracta hypochondria. Certe novimus, motum abdominalium muſculorum ad vocem requiri, quod et WINSLOW obſervavit, *Mem. de l'Acad. des ſciences, de l'Ann. 1738.* Et CICERO inde bona in oratore latera poſtulat. *de Oratore I. 25.*

f) HIPPOCRATES *Coac. Praen. I. 170.*

g) *Prax. med. I. IX. de obſ. hypoch. Op. p. 63.*

ubi nulla spes sit haemorrhagiae, vel abscessus ad aures. Sane est, quod naturae benignitatem agnoscamus, quae perpetuo aliquo vinculo delirium et saluberrimam haemorrhagiam narium *h*) jungere solet, nisi aetate induratum jamjam corpus obstiterit. Periculosiora etiam his interdum ex tensis praecordiis praesagire, auctore HIPPOCRATE, debemus: nam οἱ μὴ διαλείποντες, inquit, ἐφιδρῶντες πυκνὰ μετὰ ὑποχονδρίε ἐντάσιος ὡς ἐπτοπολὺ κακοήθεες *i*). Quod nemo non videt esse febrium illarum exanthematicarum, quibus tot mortales occumbunt, imaginem. Cum istis enim sudoribus, quibus decepti plurimi, diaphoreticis, bezoardicis vel alexipharmacis naturae molimina, rejectis omnibus venaesectionibus et an-

h) Hinc et ipsam praesagiunt inter reliqua signa tensa atque revulsa praecordia. Ita *Prorrhet. I. XXI.* 7. ὑποχονδρίε, inquit, ἔντασις μετὰ παρηβαρίης, καὶ κωφώσιος, καὶ τὰ πρὸς ἀυγὰς ὀχλέοντα, αἱμορραγικά. Ubi male Lindeniana versio τὰ πρὸς ἀυγὰς ὀχλέοντα reddit, *et quae ad haec consequenter divexant*, cum esset vertendum, et quae ad oculos turbant, h. e. ut recte FOESIUS, tenebricosa, quae ante oculos obversantur. Quod et GALENUS confirmat *Com. ad h. l. Op. Cl. IV. p. 189. D.* Quae nigra cum vomitum interdum significent, pulcherrime et haec discrimina definit HIPPOCRATES *Prognost. XXV.* 2. 12. In universum enim cavendum, ne ex uno signo praesagias. Quod et bene CAELIUS AURELIANUS, *Ac. morb. L. I. c. 3.* monet. De narium haemorrhagia ex tensis praecordiis vide apud *Hipp. Prorrhet. I. XX.* 15. *Coac. II.* 70. confer. *Epidem. I. Sect. II.* 98. *II. Sect. III.* 71. *et IV. Sect. II.* 34.

i) *Coac. Praenot. I.* 50. conf. *Epidem. I. Sect. III. negr.* 2. 3. 8. *et* 10. Lucem vero his affundunt ea, quae HIPPO-

CRA-

antiphlogisticis, pessimo in aegros consilio turbarunt, monstra illa purpurae vel petechiarum prodeunt, gangraenae internae soboles. Aliud mortis ex revulsis praecordiis praesagium apud eundem HIPPOCRATEM hoc est *k*): παρδίης πόνος ἅμα ὑποχονδίῳ συντόνῳ καὶ κεφαλαλγίῃ, κακοήθεες· καί τοι ἀθματώδες· ἦ ῥά γε ἐξαίφνης ἔτοι τελευτῶσι; Quod de iis patet dici, qui, viscerum diuturna conflictati labe, ab inflammatione denique in praecordiis accensa, quae ad caput pulmonesque progreditur, sub peripneumonia pereunt. Tumores denique ad aures tensa praecordia nunciant. Notum est hujus depositionis, quam dicimus, criticae genus crebro acutis accedere, omnesque morbi reliquias illuc congestas in purulentam materiam vertere, et saluberrimo instituto evehere *l*). Nec tamen omni periculo haec res caret. Quod plu-

CRATES *Coac. I.* 101. habet: οἱ μετὰ καταψύξιων, ἐκ ἀπύρων, ἐφιδρῶντες ἄνω, δύσφοροι, φρενιτικοί τε καὶ ὀλέθριοι ἐν ὀξεῖ. Nempe febris semper phrenitica est, sub qua exanthemata erumpunt. Interdum vero expellendis iis impar natura sub ipso molimine suo accumbit. conf. *Coac. I.* 82.

k) *Prorrhet. I. IX.* 4. ARETAEUS *de caus. et sign. morb. acut. L. I. c.* 2. inter asthmatis symptomata ἀνεσπασμένα ὑποχόνδρια memorat. Sed quemadmodum tota asthmatis descriptio multa habet, quae ad peripneumoniam pertinent, et ea huc referenda videntur. CELSUS *de medic. IV.* 7. pectoris totius, et praecordiorum gravitatem in peripneumonia esse dicit. Quam quidem facile apparet a tensis revulsisque praecordiis fieri posse.

l) HIPP. *Coac. Praenot. I.* 191. ἐκ κάυσος μὴ γενομένης πυώδες παρ' ἕδος ἀποσήματος ἐ πάνυ σώζονται.

plurima HIPPOCRATIS effata docent. Ex tensis vero praecordiis inter alia haec praesagia affert: μετὰ ὑποχονδρίε ξυντόνε καταψυχθεῖσι, παρ' ἃς μέγα ἔπαρμα m), et alio loco: ὑποχονδρίων σύντασις μετὰ καύματος ἀσώδεος κεφαλαλγικῷ τὰ παρ' ἃς ἐπίαρει n). Inprimis vero hoc memorabile dictum o): Τὰ παρ' ἃς ἐπὶ κοιλίησι δυσώδεσι, πυρετῷ ὀξεῖ, ὑποχονδρίῳ ξυντόνῳ, χρονιωτέρως ἀρθέντα, κτείνει. Nimirum quando vitiati vel subputridi hepatis squalores a diuturnioris febris injuria in sanguinem redundantes ad caput copiosius feruntur, quam ut in paroditibus, quas attollunt, consistere possint, in cerebrum inimica vis convertitur, et adfectibus variis soporosis, ipsaque apoplexia aegros conficit. Atque haec de tensis revulsisque praecordiis.

§. 7.

Nondum hisce exhausti sunt fontes, ex quibus repetere praesagia praecordiorum instituimus. Restant multa, eaque non minus egregia de tumoribus hypochondriorum in acutis aeque ac chronicis, fluxibus variis alvinis, phthisi, parotidibus et aliis. De anxiis deinde et duris praecordiis in hydrope inprimis et ictero observatu dignis copiose dici posset. Sunt praeterea variantia, plena, inaequalia, frigida, gravia et alia hy-

Conf. *Prorrhet. I. XXII. XXIII. et XXIV.* et *Coac. II, 78. sequ.* ubi longo ordine praesagia de tumoribus et abscessibus ad aures enumerantur.

m) *Coac. Praen. I. 154.*

n) Ibid. *II. 255.* Quae fere iisdem verbis de dolore praecordiorum paullo ante, *n. 43. et 46.* praesagit.

o) *Praen. Coac. II. 81.*

hypochondria, ad quae solertia veterum curiose attendit. Sed de his omnibus, quae nunc idoneis de causis persequi pro dignitate non licet, alio fortassis tempore, si DEUS vitam dederit, agemus.

VII.

Dr. CHRISTIAN GOTTLIEB LUDWIG

Progr. sist.

Monita semiotica in dijudicandis infimi ventris doloribus.

Lipsiae, 1759.

Nimia alimentorum ac potulentorum copia et varietas, quae linguam saepius blande afficit, subito per gulam descendit, in ventriculo tamen et duodeno non apte satis subigitur, sed in infimo ventre haeret, digestione non rite succedente, chylum crudum ad sanguinem mittit, et putridas et alio modo corruptas feces in canali alimentorum accumulat, multorum certe morborum, acutorum aeque ac chronicorum, causa existit. Multi sunt diaetae errores, qui machinam humanam laedunt: effectus ab aëre, animi affectibus et rerum, nonnaturalium dicta-

rum, vario ab usu pendentes, in censum quoque veniunt, sed certe maximi sunt, qui abdomen male afficiunt. Acrimoniae nimirum variae, cum succis nutritiis male praeparatis in toto corpore distributae, et saburra humorum in primis viis haerens systema praecipuorum nervorum, in abdomine excurrentium, et cum reliquis vicinis nervis connexorum, ita saepe irritant, ut systema venae portae et viscera abdominalia spasmis, obstructione, aliisque incommodis excrucientur.

Haec saepius mecum perpendi, cum aegrotos, de doloribus infimi ventris conquerentes, examinavi, eorumque cruciatus cum variis observatis medicis comparavi, quae fabrica partium, natura alimentorum, variaque acrimonia in corpus ingesta et in eo nata, mihi suggesserunt. Sed cum in situm naturalem atque mutabilem, nec non in praeternaturales aberrationes viscerum abdominalium crebrius et majori cum attentione inquisivissem, causasque harum mutationum perpendissem, in dijudicandis aegrorum incommodis certiores saepe ideae subnatae fuerunt. Uti vero in omnibus morbis examinandis a phaenomenis, certo perspectis, et ex corporis cognita fabrica deductis, ad ignota concludit Semioticus, sic certe in hac quoque dolorum disquisitione omnia caute inter se conferre, et ad ultimam conclusionem disponere debet is, qui labem corporis et symptomata, inde oriunda, rite examinare suscipit, quo post morbum accurate cognitum apta demum medendi auxilia eligere queat. Quamobrem non incongruum esse duximus, eas annotationi semioticas, quas in attenta consi-

de-

deratione morborum abdominalium et ſymptomatum, his accedentium, ex phaenomenis, ſedulo inter ſe comparatis, collegimus, conſcribere, et cum commilitonibus noſtris, ad praxin clinicam initiandis, communicare.

Quando de dolore, in hypochondrio dextro oboriundo, fixo vel vago, pungente vel gravativo conqueritur aeger, medentium conſideratio mox ad hepar, viſcus in ea ſede potiſſimum collocatum, convertitur. Creſcit ſuſpicio mali ibidem haerentis, ſi color, ad icteritium inclinans, luridus vel cachecticus in facie apparet, nec alvus, a ſtimulo bilis promovenda, facile reſpondet. Perpendendum tamen omnino eſt, hepar non tam crebro laeſum deprehendi, quam vulgo creditur, cum ſubtiliſſima vaſorum fabrica rarius materiae morboſae congeſtiones et obſtructiones veras admittat, ideoque dolorem tenſivum, in hac parte oriundum, hepatis labem non ſemper indicare. Niſi enim hepatitis, rarior morbus, et qui tunc temporis ſuperficiem viſceris magis et vias bilis varias, quam intimas hepatis partes, tangit, praeceſſerit, obſtructio, cum duritie conjuncta, in hepate non protinus aſſumenda erit. Ipſa enim durities hujus viſceris a tenſione hypochondrii dextri vere diſtinguenda eſt. Hepar durum, mole auctum, e ſede ſua quodammodo deſcendens et manui tangentis medici ſe offerens, qualem in ictero nigro laborantibus interdum percepimus, prementem digitum tanto reniſu afficit, ut lapideum ferme, vel aliud duriſſimum, corpus nobis reſiſtere videatur; longe alia eſt reniſus ratio, ſi hypochondriorum tenſio non ſo-

lum eum locum, quem margo hepatis, versus anteriora magis protrusus, occupat, sed vicinas abdominis partes simul elevat. Haec licet interdum tanta sit, ut digitis sub hypochondrium dextrum et costas spurias pertingere nequeamus, ea tamen ab inflatione coli imprimis proveniens facile dignoscitur, cum et in oppositum latus extendatur, et aëris renisus digitis magis cedat, quam viscus induratum.

Major certe attentio adhibenda est, si abscessus fluctuans a tensione flatulenta distinguendus est, inprimis cum haec illam saepius sequatur. In hoc autem ambiguo rerum statu crebrior disquisitio hypochondrii dextri vario sub situ supino, erecto, et laterali expulsio flatuum, abdomen distendentium, per apta medicamenta, curiosum examen morbi antecedentis institui debet, antequam flatulentam tensionem a fluctuatione purulenta certo distinguamus. In praecedente vero, vel nunc se mutante morbo dolores potissimum inflammatorii a spasticis sedulo discernendi sunt; quando enim inflammatio praegressa cessavit et dolor tantum gravativus et tensivus inter se conferri debent, tunc suppurationis factae vel obstructionis scirrhosae relictae phaenomena ex mutatione symptomatum melius, quam ex ipso tactu, dijudicari posse arbitramur, nisi forte abscessus, in margine hepatis anteriori collectus et auctus, fluctuationis certae indicia in musculis abdominalibus, quibus saepe adhaeret, offerat.

Nec color cachecticus vel vera quoque cachexia biliosa vitium, in hepate esse, certo demonstrat; interdum enim duodenum nimis laxum

xum facilem bilis acceſſum ad hanc inteſtinorum partem non permittit, interdum pituita vel alia ſaburra, in ea haerens, bilis miſcelam hic efficiendam impedit, interdum e ſitu dimotum duodenum viam bilis, in illud inſertam, non ſatis apertam relinquit, in quibus caſibus omnibus cauſa coloris cachectici, ad icteritium accedentis, non in hepar, ſed in duodenum potius, conjicienda erit. Errant itaque non raro medici, ſi, hac coloris mutatione obſervata, hepar accuſant, cum crebra experientia doceat, duodenum ſaepe icteri cauſam eſſe. Sic in infantibus recens natis, vix non ſemper flavo colore conſpicuis, interdum etiam veris icteri ſignis obſervatis, primis viis, ut decet, evacuatis, et meconio viſcido expulſo, vel pituita tenaci per vomitum rejecta, hoc vitium tollitur, nullamque hepatis labem adfuiſſe cognoſcitur. Sic icterum poſt crapulam, iracundia ſuperveniente oriundum, vomitus ſpontaneus et dejectiones alvinae haud raro diſcutiunt, manifeſto indicio, in chronicis quoque morbis ſaepius ad ſigna ex duodeno potius, quam ex hepatis fabrica, deſumenda reſpiciendum eſſe.

Duodenum nimirum, ſub hepate reconditum, in hoc ſitu profundo et flexuoſo digeſtionis officium, actione ventriculi tantum inceptum, continuat et praeſtat; ex his vero commodis lentioris digerendorum motus et verae admixtionis bilis et ſucci pancreatici alia ſaepius in nimia voracitate, vel etiam in cibis, digeſtioni nimium reſiſtentibus, oriuntur incommoda, quae una vel altera hora poſt paſtum utplurimum intenduntur, eo nimirum tempore, quo digeſtio in duodeno

absolvenda est. Cum autem hepar in statu sano duodenum non adeo premat, ipsae intestini praeternaturales tensiones accusandae erunt, inprimis si dolorosa et spastica affectione, ex hac causa proveniente, dolor tensivus magis in parte posteriore corporis, ad spinam dorsi scilicet, quam in hypochondrio sentitur, et plexus renalis dextri lateris et vicini alii nervi magis in consensum trahuntur; quamobrem dolores ad spinam in thoracem ascendentes vel alii, ad vias urinarias producti, non levem suspicionem movent, causas in profunda duodeni sede ejusque praeternaturali tensione quaerendas esse.

Et ipsa excrementa alvina ex hac causa vel bile non satis tincta, vel hujus stimulo parum adjuta, segnius procedunt, et pertinaciores saepe alvi obstructiones efficiunt. Licet vero hujus rei ratio in hac prima intestinorum tenuium parte praecipue quaerenda sit, effectus tamen in totum canalem intestinorum redundant. Relaxatio scilicet et inde orta distensio nimia tubi alimentaris raro universalis est, nec totum abdomen tumet, sed quaedam intestinorum partes tantum expansae, aliae constrictae, inveniuntur, qua ex re dolores saepe fixi in abdomine oriuntur, qui per longum temporis intervallum durant et tardius discutiuntur. Hinc medicus etiam, de doloribus rheumaticis musculorum abdominalium, et de doloribus spasticis intestinorum judicaturus, caute versari debet, quo veram causam et morbi sedem inveniat.

In his quidem partialibus intestinorum expansionibus, et dolore inde orto, praecipue ad co-

colon ejusque flexus, sub hepate et liene deductos, attendendum est. Vagus dolor, cum flatibus conjunctus, ex dextro in sinistrum latus deductus, tensiones coli vix ambiguas, sed satis certas, sistit; sed cum semel atque iterum, et vix non semper in una parte fixus dolor subnascitur, ad extensionem partis intestini et vicinae angustiam cum aliqua certitudine concludendum est. Urgent enim scybala et flatus, in loco expanso haerentes, versus angustiam et dolorem inde excitant, donec motus peristalticus auctus emollita scybala urgeat, quo viam in continuato canali intestinorum absolvant. Medicus vero, ad situm viscerum attentus, non arbitretur, colon in omnibus eum situm servare, quem in sanis saepius conspexit, sed in memoriam revocet eas aberrationes, quae in sectionibus cadaverum crebrius occurrunt, et quarum exempla nonnulla alia occasione recensuimus.

Sic certe, si in colica bilioſa vel alia dolores spastici circa umbilicum urgent, ad irritationem quidem intestini jejuni, ibi collocati, provocari potest; si vero in chronico morbo semel iterumque et extra digestionis tempus, et sub fecum alvinarum et flatuum remora, similes et pertinaces dolores versus umbilicum tendunt, probabili aliqua conjectura eo duci potest, flexum coli dextrum e sede sua versus umbilicum, nec in hypochondrio dextro, sed potius versus medium abdomen, tensiones excitare. Idem de doloribus, qui sub fornice diaphragmatis et ad cardiam saepius percipiuntur, timendum est. Ventriculi orificium sinistrum et extremitas magna ibi

quidem collocantur et vera cardialgia sive cardiae dolore afficiuntur, cum acre irritans circa rugas ventriculi, hic maxime conspicuas, haereat et cruciatus saepe acerbissimos excitet; sed tensivi quoque dolores a colo, ventriculum premente, effici possunt, cum saepe cognoverimus, coli sinistrum flexum, sursum urgentem, ventriculum e sede sua nonnihil dimovere, et diaphragma ipsum molestе tendere. Videndum itaque omnino est, num ingesta, an in ventriculo male digesta, hujus doloris causa sint; quod si enim hanc suspicionem removerimus, ad perversum coli situm aliqua cum probabilitate provocare possumus.

Quemadmodum autem dolores, in dextro latere oriundi, hepati, sic utplurimum lieni ii, qui a sinistro latere percipiuntur, adscribi solent. Errant certe, qui lienem in margine sinistri hypochondrii quaerunt, cum is sub fornice diaphragmatis et post extremitatem magnam ventriculi collocetur et delitescat, ideoque ejus durities, si qua esset, vix tactu disquiri posset. Et si forte in quibusdum aegris magnitudo hujus visceris ita aucta esset, ut vere margine suo ad costarum spuriarum limites accederet, tunc certe vomitus cruentus vel alia majora vitae incommoda sese nobis offerrent. De doloribus itaque, in hac regione obortis, judicium laturus, gravativum certe a mole lienis ipsius, tensiones vero a vicino alimentorum canali derivari poterit. Tumores nimirum flatulenti, sub costis spuriis sinistri lateris eminentes, lieni adscribi nequeunt, cum in iisdem aëris expansi indolem et resistentiam optime percipiamus. In infimo ventre, flati-

tibus non adeo extenso, tumores variae figurae in sinistro potissimum latere invenimus, qui a medentibus inter lienis vitia relati fuerant, sed, hac re caute disquisita, error facile detegi potuit. Cum enim tumores, plus minus dolentes, vel versus iliacam regionem, vel versus umbilicum procedendo nimium descendant, figuram etiam lienis, parti eminenti nunquam analogam, sed ovalem utplurimum referant, et vel partes coli callosas factas, et tumoribus scirrhosis glandularum folliculosarum interne obsitas, vel ipsas mesenterii glandulas, tumore scirrhoso turgentes et elevatas, ostendunt. In priori igitur casu dolor post attactum intensior est, cum sensiles intestini vicini fibrae pressione irritentur, in altero casu, nisi tumor jam carcinomaticus factus sit, is magis indolens est, et ita a priori dignoscitur.

In judicio autem, super hos tumores ferendo, pancreatis sedem sub ventriculo, ejusque interdum observandam obstructionem, simul tangere cogimur. Fateor equidem, me eo in casu, ubi sub scrobiculo cordis, vulgo sic dicto, tumor obortus est, et ventriculus distentus quasi eminet, dolore inprimis post pastum et saepius vomitu spontaneo oborto, in eam suspicionem deductum fuisse, non ventriculum et colon, sed subjacens pancreas dolore et tumore molestum fuisse, sed dissectiones cadaverum, hunc in finem susceptae, suspicionem hanc prorsus discussserunt, pancreas enim minime obstructum, sed potius scirrhos glandularum ad radicem mesenterii auctos et sursum prementes, detexi. Nollem tamen, licet scirrhosam labem in pancreate nunquam inve-

venerim, hanc glandulam ab obstructione scirrhosa prorsus liberam pronunciare, rariora tamen exempla esse, audacter affirmo.

In dijudicandis vesicae doloribus situs hujus visceris membranacei et colli ejus in pelvi satis fixus attendi meretur; praecipue autem calculus urgens, colluvies acris, materia ulcerosa, dysuriam, stranguriam vel ischuriam efficiens, ex praegressa dispositione aegri et variis causis, nec non ex excretis per urinam cognoscitur. Idem valet in labe renum, si arenulae, mucus, sanguis et pus ex iis per uretheres ad vesicam deferuntur, in his enim disquirendis singularis quaedam causarum et symptomatum series medentem instruit. Alii tamen adhuc sunt casus, ubi partes, urinam se- et excernentes, plexusque nervosi vicini a laesione intestinorum simul in consensum trahuntur. Si renes, ut in gibbosis interdum fieri vidimus, e sede sua dimoventur, tunc aliqualis saepe remora lotii ad uretheres promovendi induci posset, quae tamen situs mutationes, cum successive inducentur, vix molestiam pariunt. Uretheres, ad vesicam descendentes, a tensis saepe intestinis male afficiuntur, et flatuum vis abdomen vix adeo distendit, cum porro intestini portio expansa et in vicinia spastice contracta sua vi uretherem comprimit et progressum lotii ad tempus impedit.

Et vesica ipsa in sede sua non apte extendi et contrahi potest, si convolutiones intestinorum, quae saepius in pelvim deprimuntur, flatibus distentae, hoc lotii cavum urgent et stringunt. Uti itaque illi, qui flatibus spastice retentis vexantur, ad micturitionem ex hac sola compressione externa

na

na maxime proclives sunt, sic nullum restat dubium, spasmos nervorum universales, in abdomine excitatos, ob consensum quoque ad has partes derivari, et haud raro dysuriae et stranguriae causas existere.

In vicinia vesicae positum intestinum rectum et in foeminis quoque uterum doloribus saepius haud levibus excruciari, nullum dubium est; cum vero in hac tractatione ad omnes morbos, in his partibus sedem figentes, excurrere nequeamus, sed potissimum ad dolores, a tensionibus et perverso intestinorum situ oriundos, respiciamus, pauca, quae hoc argumentum pressius concernunt, tantum exposituri sumus. Colici dolores, tempore graviditatis obortiundi, et dolores ad partum spurii, qui foeminis parturientibus saepius molesti sunt, nec non colici dolores, post partum frequentius excitati, non raro ad uterum referuntur, qui tamen insons est, vel foetum tranquille continet, vel post partum apte se contraheret, dummodo intestina in quieto suo statu manerent, et sub motu peristaltico, aequaliter procedente, aërem et feces ad anum propellerent. Sed flatuum vis, intestina distendens, obstructio alvina et aliae causae spasmis et doloribus ansam praebent, qui, si aptis remediis removentur vel consopiuntur, tranquillos saepe parturientium motus inducunt, et tubus intestinalis sub blanda uteri et abdominis constrictione post partum egregie coërcetur. In colligendis itaque signis eo praecipue respiciendum est medico, ut statum canalis alimentorum primum accurate disquirat, antequam ad uterum dijudicandum se conferat, et bene perpendat, spasmos tales, si etiam ad orificium uteri se exten-

tendunt, nec vagi abdominales dici possunt, tamen ex abdomine eo descendere, et ita per consensum tantum alias partes aegre afficere.

Dolores haemorrhoidales in veris et coecis ex intestino recto ejusque orificio potissimum dijudicantur, respiciendum tamen simul est ad regionem ossis sacri, ad cujus tractum intestinum rectum descendit, venae enim tumentes non raro altius ascendunt. Irregularis vero regressus sanguinis in systemate venae portae non tantum in infimo hoc loco dolores excitat, sed non raro etiam altius in abdomine vel in gyris intestinorum, vel ad musculum et mesenterium, vasa distenta et quasi varicosa reddit, ideoque stases sanguinis et tensiones nervorum efficit.

VIII.

VIII.

Dr. GEORG. RUDOLPH. BOEHMERI

reſp.

ANTON. JOAN. HARTMANN

Diſſert.

De ſtomatoſcopia medica.

Vitembergae, 1786.

Prooemium.

Quemadmodum hiſtoriae naturalis cultores corporum formas diſtinguere, phyſici eorum vires indagare, effectuumque rationem reddere, et, quidquid univerſa naturae ſcrutatorum ſchola de rerum qualitate, indole ac virtute, efficacia et recta non minus, quam perverſa conſtitutione diſſerere norit, prorſus ignorarent, niſi omni, qua par eſt, induſtria eo adniterentur, ut nullo non tempore ſedulo obſervent, quot, quales et quantas viciſſitudines et mutationes corpora naturalia in ſuperficie et habitu externo, ut tota, in primis materiei particulis, ex quibus in ſolidum coaluere, ut compoſita, in quiete aut motu conſtituta, ſuaque ſponte agentia, aut etiam ar-

arte in actionem deducta patiantur: *a*) ita haud dispari ratione salutarem medendi artem professi ad ea, quae in corpore humano, et quando sibi ipsi relictum est, et quando ad varia phaenomena edenda studio, seu per juvantia, ut ajunt, seu per nocentia medentis adigitur *b*), eveniunt, justo diligentius perscrutanda se accingant, oportet, ni omni, quam in artis suae exercitio utiliter et religiose sequantur, norma destitui, aut temerarii ausus, aut insulsae timiditatis notam sibi inurere, fidem simul ac dignitatem turpiter amittere, atque sic quaecunque medicum ornant et nobilitant, pessumdare velint *c*). Neque hanc solum meam, aut Doctissimorum Praeceptorum, a quibus ita imbutus sum, esse opinionem existimes, quin potius persuasum tibi habeas, in hoc omnes, utut alias discreparint, quoscunque magni nominis momentique viros audiisse novimus, medicos semper convenisse, ut unanimiter arbitrarentur, ex iis solum, quae in corpore humano accidunt, dijudicandum esse, sanusne sit homo, an morbo affectus, quis, qualisque sit morbus, quo homo afficitur, multumne habeat pe-

a) Conf. Magnif. ac Fidissimi Praeceptoris D. Leonhardi Diss. de chem. instrum. mechan. error. et dissens. fontib. Viteberg. 1783. pag. 1 — 6.

b) Quam caute quaque methodo pericula hujusmodi instituenda sint, Hipp. monuit de locis in homine. Ed. Lind. pag. 390. Cf. et G. Bagliv. Prax. med. Libr. II. Cap. VIII. Tissot *von Nervenkrankheiten. Band III. pag. 13. et seq.*

c) Conf. Jodoci Lommii Epistol. ad Senat. Bruxellan. et sequentem Rottendorfferi ad Schefferum, praemissas observ. medicinal. *Schreiben an den Herrn Hofrath* Gruner *in Jena.* Metzgers *Grundsätze der Semiotik.*

periculi, an parum, num praestet, medicum modo spectatorem agere, an potius aliquid moliri, num, si qua re opus est, e fonte diaetetico haurienda, an aliunde, num totum negotium solius naturae viribus committendum, an autem alia ratione mali vis refrenanda, num denique valetudo reversa genuina sit et fuci expers, an vero bonum suspectum, atque paulo post in malum gravius erupturum *d*)?

Ex istis quidem inclarescit, non unam modo aliquam corporis partem, sed corpus universum a medico lustrandum esse, quo judicium plenarium ferre valeat; interim tamen cum pars altera significantior sit altera, proprioque nisu in intuentium oculos incurrat, et alia variorum ope velaminum sese spectantibus subducat, cumque praeterea corporis universi lustratio ampliorem suppeditaret differendi materiem, quam limites, quibus hujus generis libelli circumscribendi sunt, admittant, reliquis cunctis missis, de solis ex oris inspectione eruendis signis agere, constitui.

Quoniam vero juxta veteres, utpote coaevos naturae testes, quacum habitarunt et consenuerunt, non minus, quam juxta recentiores, quos saeculum praesens itidem idcirco Primipilos Semiotices venerati debet, quod naturam sibi ducem elegerant, ut sunt HIPPOCRATES, GALENUS, FIENUS, ALPINUS, LOMMIUS, BAGLIVIUS, BOERHAAVIUS, GAUBIUS, ZIMMERMANNUS, KLEI-

d) Conf. TH. SYDENHAMI Prax. Medic. Experim. p. 322. CHR. G. SELLE Medic. Clinic. 2te Aufl. 1783. pag. 1 — 63.

KLEINIUS, GRUNERUS, METZGERUS, *habitus externus, actiones et excretiones* humani corporis, hujus disciplinae longe amplissimae *e*) fontes assignantur *f*); ideo non conspicio, quid prohibeat, quo minus et ego hanc methodum sequar, ut me potius via regia incessurum credam, si horum principum vestigiis etiam pressius institero. Quamdiu enim cunque naturae humanae leges obtinuerint, tamdiu alios Semiologiae fontes mortalium assignabit nemo.

Legi itaque, specimen aliquod profectuum meorum poscenti, pro virium tenuitate pariturus, facta prius oris descriptione, agam *primo* de *signis illis, quae ex habitu oris externo*, tum de illis, quae ex *oris actionibus*, denique de illis, quae ex *oris excretionibus* desumi possunt. Quos conatus ut et divinum ratos habeat Numen, et *Tu, Lector Benevole*, in meliorem partem interpreteris, summis exopto votis.

Ca-

e) Medicinam cito discere, non est possibile. HIPP. de locis in homine. Ed. Lind, T. I. pag. 392 et seq. Item Aphor. I. pag. 68. Semioticen autem omnium disciplinarum medicarum esse communionem, evidentius est, quam ut testibus comprobarem.

f) Conf. DURETUS in HIPP. Coac. Praenot. P. I. No. 20. Edit. Par. 1588. DE HAEN Praelect. in HERMANNI BOERHAAV. Institut. Pathol. T. IV. pag. 6. 27. 76. — 316. METZGER Lib. cit. p. 6. §. 23.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0234
DFG

Caput I.

De signis illis, quae ex habitu oris externo desumi possunt.

§. 1.

De Ore generatim.

Antequam rem ipsam aggrediar, quid mihi nomine oris veniat, declarandum est. Os, quod alii primarium alimenti introitum, ac masticationis officinam; alii illam faciei partem, quae nares et mentum interjacet, labiisque clauditur *g*), alii spatium inter labia et fauces interceptum *h*), membrana communi obductum, variisque poris, fonticulis, et ductibus, liquorem tenuem ac insensibilem non modo exhalantibus, sed spissiusculum adeo et sensibus omnino perceptibilem quandoque largiter profundentibus undique refertum *i*); et adhuc alii, pro diversa, ad quam contendunt, meta, rursus aliter appellant, cujusque partem anteriorem labia, et arcus alveolares, cum proxime adjacentibus et contentis, posteriorem hiatum in fauces patentem, superiorem palatum osseum et molle, inferiorem carnes linguae substratas, et septum denique, quod cavum

g) Cf. J. C. P. Zimmerm. diss. de ore ut signo. Hal. Magdeb. 1752. p. 9. 10. Hippocrat. de natura hominis. Ed. Lind. T. I. p. 282.

h) Cf. Mayers *Beschreibung des ganzen menschlichen Körpers.* B. IV. pag. 217.

i) Cf. Chr. G. F. Weber diss. de sputis. Lips. 1783. pag. 9 — 14.

Universitäts Bibliothek Rostock http://purl.uni-rostock.de /rosdok/ppn1039804454/phys_0235 DFG

hoc in os ſupralinguale et infralinguale diſcernit, linguam *k*) eſſe, dicunt, hoc os, inquam, a variis tam varie nuncupatum et definitum, pro mea quidem ſententia ac praeſenti ſcopo, nihil magis, quam mentis cordisque motuum, vel, ut clarius loquar, omnium eorum, quae in univerſo corpore fiunt, diſertus ac fidiſſimus ſimul interpres dici meretur; quoniam (linguam ut fandi organon in praeſens nequaquam aeſtimo, qua arcana quaeque prodi alioquin in confeſſo eſt *l*), quoniam ſigna, inquam, quae ſeſe in partium, quibus os componitur, habitu, actionibus, et excretionibus exſeruut, quid intus fiat, quidque agatur, adeo clare docent, ut morbos, morborum cauſas, probabiles eventus, et frequenter etiam, quid factu opus ſit, faciei, cujus partem admodum ſpectabilem, ne dicam principem, os efficit, compoſitio efficaciſſime deſignare a Cl. ACKERMANNO dicatur *m*). *Nec ſola fronte, ſed ore adeo labentis naturae imbecillitas legitur n*). Eſt vero morbi norma ſanitas, ut curvi rectum: et, qui eorum cognitionem ſibi comparavit, quorum ope ſanitas cognoſcitur, jam bona parte eorum, quae ad morbos rite cognoſcendos pertinent,

k) ALB. DE HALLER de partium corporis humani praecipuarum fabrica et functionibus. T. VII. p. 313 et ſeq.

l) HIPP. l. c.

m) Cf. Diſſ. ejus de Proſopoſcopia medica. Lipſ. 1758. pag. 22. 23. TISSOT *von den Nerven und ihren Krankheiten. B. II. pag. 592 — 598.*

n) Sic lingua principium, flatum et decrementum, item biliоſum, pituitoſum et ſanguineum morbi fomitem, ut in ſequentibus patebit, ſaepenumero indicare ſolet. Cf. METZG. libr. cit. p. 49.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0236
DFG

nent, instructus est o); quam ob rem, me a praefixo scopo longius aequo digressurum esse, non opinor, etiamsi paucis exposuero, quandonam ex oris conditionibus, totum corpus bene valere, cognoscatur.

In universum os tale censetur, si omnes ejus partes rite conformatae sint, et munia sua laete citraque incommodum obeant. Id est, si labia roseo gaudeant rubore, situm consuetum forma naturali occupent, et animae imperio, quod motum et quietem concernit, fideliter obtemperent p); si dentes sint albi, nec tartaro, aut caseo, nec alia quadam materia foedi, sed omnino puri, densi, fortes, numerosi, integri, et singuli locis debitis infixi, omnisque doloris expertes q); si gingivae dentes firment, eosdemque nec nimium obtegant, nec nudatos sistant, mediocriter rubentes, livore et nigritie careant r); si lingua subrubra, ab omni squalore pura, aequalis, mollis, calida, volumine mediocris, in omnem partem mobilis, gustandi et sentiendi capax sit s); si de

o) Cf. DE HAEN libr. cit. p. 5 — 7. Item GAUBII Institut. Patholog. p. 7.

p) Has, ait, Ill. C. A. DE BERGEN, esse conditiones labiorum humanorum naturales: 1) Situs horizontalis inter nasum et mentum. 2) Situs parallelus inter se. 3) Color suaviter rubicundus. 4) Liberrimus ex voluntate motus. 5) Insignis prae brutis magnitudo, prominentia, laevitas et mollitudo. Cf. Diss. Ejus de labiis. Francofurti ad Viadr. 757. p. 2. §. II.

q) J. J. PLENK doctrina de morbis dentium ac gingiv. p. 21 — 80.

r) PLENK libr. cit. pag. 90.

s) Ill. GRUNER Semiotice physiologicam et pathologicam ge-

reliquo cavum hoc tumori nulli obnoxium, nec puſtulis, aut ulcuſculis deforme ſit, odorem ſpargat nullum, neque ſputa praeter modum, qualiacunque demum illa forent, ejiciat ulla. His generatim praemiſſis, de labiis agemus, quae ſe primitus ſpectanda offerunt *t*).

§. 2.

De Labiorum habitu.

Notae, e labiorum habitu prae aliis animadvertendae, ſunt: *Color*, *Marcor*, *Tumor*, *Pruri-*

generalem complexa. p. 592 et ſeq. Ex his paucis, quae hucusque expoſui, jam patet, me quam plurima, quae hoc opus complectitur, feciſſe mea. At quis usque adeo in ſe ipſum iniquus eſſet, ut ſuam prolem tanta commendatione orbatam dimitteret? GRUNERUM enim qui diligenter evolvit, non ſolum cum antiquioris memoriae, tum recentioris aetatis, verum et ipſius adeo ſerae poſteritatis libros evolviſſe mihi videtur.

t) Equidem inficias non eo, partium oris ſingularum anatomicam explanationem hic a me praemittendam fuiſſe; non ideo quidem, ac ſi e ſcriptis ſemiologicis anatomica cognitio haurienda eſſet, ſed ideo ſolum, ne ego in ea peregrinus videar. Cum tamen ob privatas rationes his ſupersedere ſatius eſſe duxerim, ne pigeat, quaeſo, L. B., quae hic deſiderantur, e locis paſſim citatis et citandis colligere atque ſupplere. Nec tamen propterea quis exiſtimet, me hoc obtentu ad ignorantiam meam occultandam uti, aut magni HIPPOCRATIS, anatomiae ſtudium minus ad medicos, quam ad pictores ſpectare aſſerentis, de veteri medic. T. I. p. 34. auctoritate ſeductum, hoc ſtudii genus nauci floccique facere et vilipendere; abſit, talia vel cogitare: ultimum enim quod attinet, quisnam huic Venerandi Senis loco inſit ſenſus, e SYDENHAMO probe didici. Libr. cit. p. 618 et ſeq. primum vero, la-

ritus, Efflorescentiae et Fissurae. Labiorum color, qualis esse debeat in homine sano, partim e supra dictis jam patet, partim aliunde hauriat medicus, oportet. Sicut vero grato rubore elegans labiorum forma ac venustas bonam valetudinem *u*), aut, si quis adfuerit morbus, exiguam ejus vim, naturae viribus facile superandam docet; ita etiam aberratio major vel minor a consueto hoc lepore et gratiae ornamento, concentum illum solidorum et fluidorum, in quo sanitatem locatam esse arbitramur, magis minusve turbari, indicio est *x*). Deflectit vero exoptata labiorum coloris species vel *intensione*, vel *imminutione*, vel turpi *defoedatione*. Ut cum PROSPERO ALPINO, de

 co-

labor improbus et diligentia prorsus eximia laudati D. LEONHARDI, ut Exp. et Excell. Professores NÜRNBERGERUM et LANGGUTHIUM, quorum uterque in cadaverum disquisitionibus ex instituto desudat, taceam, nunquam tulisset, qui collegiorum privatorum praecipuam in eo posuit ponitque partem, ut tirones cum corporis humani fabrica quam familiarissimos reddat, ne aliquando more ANDABADARUM, ut ajunt, cum morbis conflictum ineamus. Haec referre justitiae fuit. Thus Diis, laus vero bonis viris tribuenda est.

u) Vividum oris nitorem inter dotes nutricis eligendae collocat SAMMARTHANUS in Paedotrophia Libr. I. p. 62. Cf. FRANKENS *Medic. Poliz. B. II. p. 373.* DE HAEN libr. cit. p. 51.

x) Labiis haec significandi vim inesse, docent cordis et cerebri vicinia, vasorum et numero plurium et lumine majorum reptatus, cutis absentia et epidermidis, quam hic loci epithelium vocare malunt anatomici, teneritudo, et hinc oriunda sanguinis transparentia, et denique nervorum surculi et proventus, quibus natura hanc regionem potissimum locupletavit. Cf. MAYER Libr. cit. p. 224. ACKERMANN Diss. cit. pag. 7 — 13. DE BERGEN Diss. cit. §. 5 — 10.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0239
DFG

coloribus loquente *y*), initium capiam, e labiis magis, quam fas est, rubentibus, corpus si non plethora universali, et vera, orgasmo sane et partiali *z*), aut mala humorum crasi laborare *a*), nimio impetu sanguinem vel ab aliquo irritamento ad caput et faciem rapi, vel a corde urgeri, aut regressum ejus impediri, augurandum esse, cognitione anatomica, physiologica, pathologica etc. ut decet tinctus, nemo est, qui ignoret *b*). Unde etiamsi auctoritas HIPPOCRATIS *c*), GALENI *d*), PROSPERI ALPINI *e*), SWIETENI *f*), GAUBII *g*), HAENII *h*), GRUNERI *i*), et aliorum, quorum nomina consulto, ne praeter necessitatem longus videar, silentio praetereo, me non moveret; tamen vel ex his praesupponendis jam arguerem, hoc phaenomeno paululum longiori mora durante, in acutis aestus magnitudinem, febrem, delirium imminens, periculum, accedentem synochum *k*), pul-

y) De praesagienda vita et morte p. 284.

z) GAL. Libr. 4. de sanitate tuenda.

a) DE BERG. Diss. cit. §. XI. An color cujuscunque partis roseus arteriis potius quam venis tribuendus sit, nec ipsi artis magistri definire ausi sunt. Cf. DE HAEN libr. cit. pag. 67.

b) Cf. MAYER. Libr. et p. cit.

c) Praenot. Coac. T. I. p. 540.

d) Praesag. ad Posthum. Cap. XIII. item loc. mox cit.

e) Libr. cit. pag. 284 et seq.

f) In Comm. in BOERHAAV. Aph. 382.

g) Libr. cit. p. 350 et seq.

h) Libr. cit. pag. 93.

i) Libr. cit. p. 560. Item ZIMMERM. Diss. cit. p. 22.

k) LOMM. in observat. medicinalib. p. 244.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0240
DFG

pulmonum et partium ad caput ſpectantium inflammationem, phrenitidem, ignem in facie ſacrum, quem proprie eryſipelas exulceratum nuncupant *l*), anginam; in variolis, puſtulas copioſas et confluentes, hepatis praeprimis et aliorum viſcerum labem, convulſionem, morbi malignitatem ſummam, exitium *m*); ſignis vero praegreſſae coctionis, aetate et morbi genere conſentiente, apparentibus, haemorrhagiam narium indicatoriam inſtantem *n*), vel labii inferioris haemorrhagiam periodicam *o*). Sin autem brevioris fuerit durationis, ſeu rubor fugax et vagus ſcorbutum, malam humorum indolem, nervorum diſtenſionem *p*), debilitatem, primarum viarum ſordes, febrem lentam et varias animi commotiones, ut ſunt: verecundia, pudor, amor, et, quae furor brevis eſt, ira *q*); in hydropicis vero rubore jamjam ad livorem vergente mortem haud multum remotam denunciari *r*).

Nec e labiis minus, ac naturae conſuetudo requirit, rubentibus, ſeu pallidis morborum inſtantium, praeſentium et jam ſuperatorum quam plurima deſumuntur indicia. Quemadmodum

 enim

l) Idem p. 249.

m) Cf. BAGLIV. Prax. med. Libr. I. de voce et facie in Acutis, ubi ait: omnis rubor faciei, vel ſanguinis copiam, vel internam phlegmonem, vel calidam intemperiem, vel viſceris corruptionem denotat.

n) Conf. LOMM. Libr. cit, p. 34.

o) Deſcripſit Cl. KRAMERUS Commerc. Litter. Norimb. 1735. pag. 130. Cf. DE BERGEN Diſſ. cit. 19.

p) TISSOT *von der Geſundheit der Gelehrten.* Lipſ. 1775. §. 15. p. 34.

q) DE BERGEN §. XL.

r) Conf. KLEIN Interpres Clinicus. p. 137. 139.

enim e labiorum rubore nimium intenso, et ultra modum exaltato sanguinis abundantiam, rapidum ejus ad superiora accursum et plurimam cordis actionem divinandum esse, duximus; ita, ratione prorsus consimili, exadverso albor et pallor praeter sanguinis rubri penuriam et temperiem phlegmaticam, de pituita redundante *s*), malo corporis habitu, nervorum distensione et debilitate perquam magna, et, nisi reliqua vultus lineamenta et partium picturae plus gratiae promiserint, de migratione post triduum instituenda, LOMMII quidem, HIPPOCRATEM determinantis, judicio testatur *t*). Unde iterum liquet, quantum fidei supra laudatis viris habendum sit, qui labiis pallidis (oculorum tamen vigore superstite) largas vacuationes factas, graves morbos exantlatos, et labores magnos fuisse superatos *u*); alias vero studium indefessum, amorem et aegritudinem persistentem urgere *x*); paroxysmum febris intermittentis, febrim quandam aliam, nauseam et animi deliquium instare, vel terrorem et metum praecessisse *y*); in infantibus vermes et rachitidem, in feminis, viro maturis, febrim albam *z*), in maribus gonorrhoeam, et sicut denique facies integra discolor semper mali ominis sig-

s) GAL. Libr. IV. de Sanit. tuenda.

t) Opere cit. pag. 278. 132. 162. HIPP. Praenotion. T. I. 449.

u) LOMM. in locis cit.

x) *Qui pallet, aut studet, aut amat, aut aegrotat.* Proverbium vel in vulgus notum. Cf. Ill. SWIT. Libr. cit. Aph. 1094. DE BERGEN §. XL.

y) Idem Libr. cit. Aph. 631. 105. 127. 390. 683.

z) D. S. SCHAARSCHMIDT Semiotic. p. 481. Berol. 1756.

signum est, ita nec partes ejus singulas decoloratas boni quicquam portendere posse, innui, volunt: siquidem nihil aliud se observasse profitentur, quam quod ab unoquoque observatum iri exspectare licet, qui eo doctrinae apparatu instructus est, quo Semioticum instructum esse decet.

Quod vero colores labiorum defoedatos attinet, sub quibus subflavum, croceum, quem HIPPOCRATES, teste ALPINO *a*), viridem appellat, lividum, plumbeum, nigrum, et horum variam commixtionem intelligo, subflavus quidem magnam vasorum exinanitionem, et in hydropicis fatum; croceus, a quo album oculi simul tingitur, hepar obstructum, morbum regium *b*); lividus stagnationem ob sanguinis reditum denegatum, cancrum latentem, in febribus acutis gangraenam, mortem *c*); plumbeus et foedus viscera graviter affecta *d*), horum colluvies et conjunctio malum quodvis grave, id est, aut morbum admodum diuturnum, aut mox mortiferum; niger pessima quaeque indicat *e*). Ex his itaque sequitur, *primo*, optimum esse labiorum colorem naturalem, nigrum pessimum; *secundo*, inter hos utrumque contentos eo graviora

a) Pag. 318.

b) ARETAEUS de causis et sign. morbor. p. 44. LOMM. l. c. pag. 180 — 183. SCHAARSCHM. libr. cit. pag. 482.

c) Quodsi vel labrum, vel palpebra, vel nasus liveat, in propinquo est mors. HIPP. Praen. Coac. T. I. p. 540. 527.

d) LOMM. p. 168 - 179. PROSP. ALP. pag. 286. SCHAARSCHM. l. c. p. 482.

e) Idem periculum niger color ostendit (quod lividus nempe), inquit GRUN. Lividum autem pestiferum paulo ante di-

ra significare mala, quo celerius alter alterum insequitur, et, quo plures inter se fuerint confusi *f*); *tertio*, quo propius denique ad nigrum accesserint, eo importunius mortem fores pulsare *g*).

Marcor, qui, ob teneras et exiguas carunculas, in facie citius et evidentius, quam in aliis quibusvis corporis partibus, apparet *h*), ni protinus alimentorum usu tollatur, signum est malae nutritionis, pinguedinis et lymphae deficientis, imminentis profecto, si non jam praesentis, atrophiae et tabis. Quare morbis acutis ineuntibus derepente accedens non minus, quam chronicis ad finem vergentibus superveniens, terribilis esse debet: nam hic solida imbecillia et fluida depascentia, illic vero virium, quae morbi vigorem sustineant, defectum declarat. Quodsi vero post morbos graves, et alia virium vitae jacturam inducentia (e. c. inediam, gravem curam, vigilias, sudores, sanguinis aut alvi fluxus, etc.) evenerit, reliquis rite constitutis, terrere non debet *i*).

Sic etiam labiorum tumor haud raro mali ominis est, utpote qui humidorum copiam et pra-

dixerat, sive universum corpus, sive partes aliquas, v. c. palpebras, genas, nasum, labia etc. deturpet. Libr. cit. pag. 565.

f) Varii enim colores varios humores et varias dispositiones indicant, quae difficilius vincuntur. Fien. Semiot. pag. 70. Lomm. Libr. cit. p. 24. 25.

g) Exp. Pezold de Progn. in febr. acut. p. 22. §. 29.

h) Prosp. Alp. Libr. cit. p. 279.

i) Hic de ea labiorum extenuatione, quae inter notas faciei Hippocraticae numerantur, sermonem esse, meminisse opor-

pravam indolem, vaſorum diſtenſionem, congeſtionem qualiumcunque fluidorum ad caput, eorum reditum interceptum *k*), et, pallore ſeſe aſſociante, fibras vi elaſtica deſtitutas, aegrum de vita periclitari, et quaecunque mala labiorum colores praeternaturales et alieni, ſuperius a me dicti, indicare, paucis miſſis, quae medicus rationalis facile cognoſcet, denunciat. Sigillatim vero e labiorum tumore in tertiana *l*) et pulmonum inflammatione *m*) felicem exitum, in variolis ſuppurationem proximam *n*) et cum labiorum converſione atque dependentia conjuncto elephantiaſin diſcimus *o*).

At Labroſulcium ſeu Cheilocace, id eſt durus, et, ſi narium deſtillationem demas, ubi non durat, diuturnus labii ſuperioris tumor, qui utplurimum et ipſum naſum in conſenſum rapit, infantibus familiaris et curatu admodum difficilis eſt, ni forte alicujus ictus, lapſus, contuſionis aut alius cauſae externae ſequela ſit, intermiſſas vacuationes, luctum et ploratum praegreſſum, acrimoniam ſcrophuloſam, ſcorbuticam, ſyphili-

oportet, ut dictis ſua conſtet veritas. Vid. Lomm. Libr. cit. p. 21. 22. 25. Grun. pag. 606 et ſeq

k) Intumeſcentia labiorum nequaquam a muſculorum actione dependet, ſed influxus humorum effectus eſt. Conf. de Berg. Diſſ. cit. pag. 4. §. VI.

l) Salmuth. Obſ. Med. Cent. II. Obſ. 2. p. 60.

m) Grun. pag. 587.

n) Grun. pag. 576 et ſeq.

o) Aret. Libr. cit. p. 70. Cf. Lomm. Libr. cit. p. 53—55. Grun. pag. 589.

liticam, lympham viscidam et abundanten significat *p*).

De pruritu ut signo vix notatu dignum quicquam reperio, praeterquam quod, ut alibi, ita etiam in labiis materiem acrem ex intimis ad cutim delatam, eamque ibidem non sine molestia haerere, indicet. Verum exanthemata et efflorescentiae, quas invitum hoc scalpendi desiderium utplurimum antecedit, vel etiam comitatur, medici attentionem magis exposcunt *q*); nam labra pustulis, ulcusculis, scabie et asperitudinibus deturpata, nunc bona sunt, nunc mala, adiaphora nunquam. Sicut enim summatim vitiosos humores et morbos hinc oriundos produnt; ita etiam sigillatim de salutari, et aliquando de lethali crisi proxima nos admonent, aut de morbo diuturno (e. c. quando ante diem comparent), cujus eventus anceps est, certiores reddunt. Sic in acutis labia arida et fissa, in squamas et pustulas defluentia aestum vehementem, et res aegri plane extra vadum, et vix unquam judicium bonum perhibent; at leviter exulcerata, tam in intermittentibus *r*), quam acutis seu continuis salutarem

p) Cf. A. K. Lorry *Abhandlungen von den Krankheiten der Haut. B. II. p. 473.* Callisen Institutiones chirug. §. 320. Selle Libr. cit. pag. 226.

q) Pustulae et efflorescentiae, quae corpus universum occupare solent, ut variolae, morbilli, et scabies etc. labia potissimum incontaminata relinquunt, et vice versa. de Berg. Diss. cit §. XLII.

r) Ita quidem Hippocrates in Popul. T. I. p. 821. Haly, in Foresti Obs. et Curat. medicin. L. II. Obs. 6. Schol. Werlhof. in Obs. de febr. Sect. V. §. 8. p. 232.

Mor-

rem exitum pollicentur *s*). Idem obtinet in peripneumonia, si scabie quadam et pustulis squaleant, pruriant et una paululum tumeant. Quodsi vero febris talis nulla urgeat, aegros ejusmodi labris foedos malo corporis habitu, fluore albo, turpi seminis profluvio, nec non alio a miasmate venereo ortum ducente morbo vexari, saepe saepius judicare licet *t*); lientericis vero et hydropicis mortem appropinquare, tuto praedicimus. Leves autem, subitaneae et brevis durationis eruptiones insequuntur praegressum terrorem, metum, et similes ingratos affectus *u*), sicut et pruritus aliquando opii assumti et sudorum lar-

MORGAGNI de sedib. et caus. morb. Epist. XXIX. n. 21. ALBERTINUS et HOME, in Princ. med. n. 11. Verum ad exquisitam solam hoc criseos genus restringunt VALCARENGHI, de praecip. febrib. §. 28. et VOGEL de cognosc. et curand. morb. §. 27. Signum judicii imperfecti esse contendunt PECHLINUS in Obs. phys. med. L. II. Obs. 20. p. 253. SENAC de recond. febr. intermitt. et remitt. natura. Libr. III. c. 2. §. 9. et WILLISIUS de febr. Cap. IV. p. m. 89. in declinatione quidem bona, mala vero, si maturius compareat, significare asserit DE ROSENSTEIN, *in Hauss- und Reise-Apotheke pag. 103;* et W. T. DE KRZOWITZ, qui in sua historia febrium intermittentium, omnium horum effata non modo refert, sed etiam minus digna a dignioribus segregat, quasi ad frugem rediens HIPPOCRATI subscribit, et febrim, si post hoc exanthema nihilominus continuare pergat, aut adeo incrementum capiat, crisi a coeptis deturbatae attribuendam esse, censet. pag. 281 — 287.

s) Cf. LOMM. p. 27.

t) Cf. Exc. ZIMMERMANN. Diss. cit. p. 20. Litt. k.

u) Arguitne hoc genus pustularum particulas spissas fluidorum motu repentino a peripheria ad centrum actorum in ex-

largorum sequela esse solet. Ceterum morbi genus tanto pejus vimque ejus tanto majorem pronunciabis, quanto vehementius et diutius urserit pruritus, celerius ac propius ad livorem et nigritiem accesserint efflorescentiae.

Quamquam satius sit, in sphaera manere, quam extra rhombum vagari, me tamen hac vice a judicibus quibusvis libentius absolutum iri confido, si labiorum limites eousque dilatavero, ut iis vel ipsas aphthas comprehendam, quam si eas silentio praeterirem, hocque eo certius, quo minus prorsus inauditum est, praeter oris penetralia, tanquam loca consueta, et ipsa labia ab his ulcusculis correpta fuisse *x*). Accedit, pustulas has esse exanthema attentione dignissimum, quippe quod non solum recens natos, verum etiam adultos haud infrequenter tenet, et varii eventus indicio est. Aphthae, sint infantum, sint adultorum et senum morbus, lividae et nigrae, ut semper agmine densissimo comparent, et solutae saepius renascuntur; ita etiam nunquam non pessimae sunt deprehensae *y*). Namque os internum, fauces, oesophagum, ventriculum, intestina *z*), tho-

extremis vasorum relictas, et nunc, quod per flumen a centro ad peripheriam revertens se in humorum circuitum reduci non patiantur, in locis minus resistentibus sub pustularum forma exterminandas? Ait de BERGEN: Diss. cit. p. 19. §. XLII. negat Ill. SWIETEN, et adeo quidem, ut, inflammationem inchoantem terrore incusso tolli, asserat. Aph. 390. Cf. et TISSOT *von den Nervenkrankheiten. B. II. pag. 8.*

x) VAN SWIET. Libr. cit. Aph. 983.

y) Idem Aph. 992. 984. KLEIN. Interpr. Clin. p. 15 et seq.

z) Quod VINCENTIUS KETELAER in Zelandia, hoc Magn. Prae-

thoracis et abdominis viscera, pudenda, et alia loca ab iis occupata (possunt autem quaecunque loca, emissariis et cryptis, liquidum aliquod eructantibus, praedita, aphthis occupari) *a*) gangraena corripi, argumento sunt, qua de causa et malignae nuncupantur *b*). Minus periculi minantur benignae, id est albidae, pellucidae et sparsae, quin imo et decretoriae nonnunquam fuisse dicuntur *c*). Singuli, quos pejus hujus morbosae materiae separationis genus angit et torquet, sunt ex infantibus, praecipue verminantes, lac vel corruptum sugentes, vel optimum quidem suctum male digerentes, seu, ut AETIUS ait, non probe coquentes *d*), quibus ob carnis mollitiem admodum periculosum *e*); ex adultis, feminae gravidae, in quibus, ob chyli praeparationem et resorptionem impeditam, abortum praenunciat *f*), et quodvis hominum genus loca humi-

Praeses hic Vitebergae etiam una vice pluribus observavit, tantam nempe aphtharum copiam ore et ano ejici, ut in summam admirationem raperetur. Vid. et KET. Tract. de Aphth. p. 15.

a) HIPP. de morbis T. II. Libr. II. pag. 74. Item de Natur. muliebr. T. II. pag. 401. ARET. de caus. et sign. morbor. p. 7. VAN SWIET. Aphor. 978. 980. 981.

b) DURET. Libr. cit. p. 464. KLEIN. loc. cit.

c) DURET. Libr. cit. p. 464. GRUN. libr. cit. p. 590.

d) De morbis cognoscend. et curand. pag. 34.

e) AUR. COR. CELSUS Libr. VI. Cap. 11. p. 372 et seq. item KLEIN l. c.

f) Mulieri in utero gerenti, si alvus multoties profluat, abortus periculum est. HIPP. Sect. V. Aph. 34. Ora aphthosa utero gerentibus non sunt bona. Coac. Praenot. T. I. pag. 574. DURET. libr. cit. pag. 442. 352. 464.

mida et depressa accolentium *g)*, quorum eos, qui phthisici simul sunt, saeculo huic nuncium remittere praeprimis cogit *h)*. Aphthoides autem chronica, seu impetigo primarum viarum chronica a WILHELMO HILLARY primo descripta et nomine donata *i)*, praeter sedem cum aphthis veris nihil commune habet, et humorum lentorem, materiae perspirabilis secretionem et excretionem imminutam, virium debilitatem, solidorum laxitatem, lympham viscidam, et hinc oriundam acrimoniam variam, morbum admodum diuturnum et summe refractarium significat. Hic loci quidem de variis fissuris, calore, frigore, ma-

g) Hinc Ill. SWIETEN in patria quotidie, in Austria per quinquennium nullas deprehendit aphthas. Libr. cit. Aph. 982.

h) Phthisicos excruciant aphthae multoties augurio fatali, sunt verba laudati KLEINII libr. cit. Estne integumenti subtilitas causa variarum pustularum in labiis, palato, lingua et aliis locis epidermide modo tectis prorumpentium, reliquis corporis regionibus intemeratis? quodsi ita, cur variolae, morbilli et reliqua exanthemata, quibus totam corporis superficiem occupare moris est, non modo non primitus in istis locis erumpunt, sed prorsus non comparent? Ego potius cum spe inani longaevitatis phthisicorum, et praematurae mortis metu hypochondriacorum inter naturae arcana retulerim. Conf. DE BERG. Diss. cit. pag. 20. BAGLIV. Prax. med. Libr. I. Cap. II. §. X. DE HAEN libr. cit. pag. 29. TISSOT *von den Nervenkrankheiten T. III. pag. 22.* METZG. *Phys. pag. 13. Ausl. II.* LORRY *Abhandl. von den Krankh. der Haut, pag. 158 — 160.* et DE KRZOWITZ, qui labia exhalationi minus apta aliis corporis partibus statuit, libr. cit. pag. 285.

i) Vid. Ejus *Beobachtungen über die Veränderungen der Luft, und die damit verbundenen epidemischen Krankheiten pag. 328 — 353.*

madore, ficcitate et similibus agere deberem, quae cuncta a plurimis, nec praepostere, ad habitum corporis externum referuntur. Verum de fissuris non esset, quod monerem, nisi praeter HIPPOCRATEM cum Exp. PEZOLDO labia fissa et arida in acutis aegri statum difficilem arguere *k*), et cum ZIMMERMANNO labii leporini, et variarum plagarum olim acceptarum signum dicere, incumberet *l*); reliqua vero quod attinet, illa sunt potius notae, quae integrum corpus, aut saltem notabile aliquod membrum occupant, et in his potius, quam in tam exigua parte, qualis labia sunt, spectanda veniunt. Quamobrem me jam ad dentes, gingivas et palatum convertam, postquam tamen prius illius HIPPOCRATICI mentionem injecero: *In qua corporis parte inest sudor, calor, frigus, ibi morbus m*).

§. 3.

De Dentibus, Gingivis, et Palato.

Quibusnam proprietatibus debita dentium qualitas absolvatur, jam supra diximus; quid singulae eorundem notae sibi peculiare velint, paulo accuratius nunc indagemus. Dentes habere crebros, robustos et densos, docet, validam fuisse in prima generatione facultatem conformatricem et vegetum calorem nativum *n*), bonam continuo fieri masticationem, ac proinde etiam con-

k) Libr. de Prognosi in febr. acut. p. 33.

l) Diss. Ejus de ore ut sig. §. X.

m) Sect. IV. Aph. 38 et 39.

n) Simile docet dentitio praematura. PLENK. libr. cit. pag. 19.

coctionem et ultimo tandem exoptatam nutritionem, unde prospera futura quaeque expectare licet: contra dentes rari, tenues et pauci maxillas *o*) et reliqua, ut ARISTOTELI quidem visum fuit, capitis ossa significant aequo solidiora, parum perspirabilia, et ideo cerebrum debile, flaccidum, et humidum, atque hinc in putredinem pronum, unde infausta quaeque *p*). Difficilior enim transpiratio robustiorem quidem reddit naturam, sed ad morbos procliviorem *q*). E quibus facile intellectu est, cur Ill. GRUNERUS et alii Semiotices pomoeriorum prorogatores asserant, dentes fortes, densos et numerosos, bonam valetudinem et longaevitatem, raros vero et deligatulos valetudinem adversam et vitae brevitatem nobis praedicere *r*). Dentes albi, puri, firmi et integri rectam humorum indolem, nulliusque morbi praesentiam indicant; uti exadverso sordidi, infirmi, seu vacillantes, squalidi, vario modo mutilati et exesi lympham et salivam vitiatam, cum gingivis tumidis, laxis et rubidis sanguinem depravatum et morbum certe nonnullum, e. g. stomacacen, salivationem etc. urgere ostendunt. Dentes tartaro, caseo, glutine, vel alia spurcitie infecti sanguinis motum justo validiorem partes aquosas in auras abigentem, vascula minima serosa obserantem, loquelam atque deglutitionem

o) Idem libr. cit. p. 22. n. 3.

p) ARISTOTEL. Sect. 34. Problem. 1. 2. Sect. 44. Item histor. animal. Cap. 3. et plura a FIENO pag. 167 citata.

q) KLEIN libr. cit. pag. 1.

r) GRUN. libr. cit. pag. 590. Etiam BAC. DE VERULAMIO dentium robur inter elephantis et renovationem rostri inter aquilae longaevitatis signa refert. Histor. vit. et mort. pag. 390. 392. 446. 459.

onem difficilem *s*), morbum gravem et res aegri periculosas, urgente simul febre acuta *t*). At, ubi nec febris, nec oris elutio in culpa sunt, capitis dolorem a prandio, stomachum *u*) infirmum, concoctionem tardam, animam foetentem, moestitiam *x*), malum hystericum, hypochondriacum et alia id genus mala indicare dicuntur *y*). Dentes aridi febrim vehementissimam et mortem *z*); stupidi, praeter peculiarem nervorum affectionem, praegressos vomitus acidos, ut in hypochondriasi atrabilaria fieri solet, aut alia acida, e. c. fructus acerbos, saccharum etc. dentibus applicata *a*). Haec de dentibus.

Gingivae autem tumidae, luxuriantes, et ad dentium coronas usque ascendentes salivationis accedentis; lividae, subnigrae, cruentae, laxae, aut a dentibus avulsae, mali habitus, fluoris albi, magni gradus mali hypochondriaci, lienis affecti, haemorrhoidum et praeprimis scorbuti; foedae, exulceratae hydropis et luis venereae, cruentae cum alvo lubrica vel liquida, propter sanguinis et ipsorum vasorum resolutionem *b*), exi-

s) VAN SWIET. in Aph. 609. PEZOLD libr. cit. pag. 32.

t) HIPP. Sect. IV. Aphor. 53. LOMM. libr. cit. pag. 22.

u) Id est ventriculi orificium sinistrum, unde perpetuae exhalationes, quae dentibus apponuntur.

x) KLEIN pag. 301. GRUN. pag. 590.

y) ZIMMERM. Diss. cit. pag. 28.

z) GRUN. loc. cit. Post HIPP. in Coac. T. I. pag. 543.

a) ZIMMERM. loc. cit. Haemodia diuturna Rhachiticorum est; momentanea sono stridulo perculsorum. PLENK. libr. cit. pag. 55. et seq.

b) Vasa resoluta idem est ac ostia hiantia, et succos indiscri-

tii inevitabilis indicium sunt *c*): at infantibus gingivae prurientes dentitionem quidem proximam, quae, si una crassiores et firmiores, vel etiam laxiores *d*) fuerint, quam par est, eandem perquam difficilem, diris cum convulsionibus stipatam, et, utut proximam, non raro tamen, morte ipsa adhuc tardiorem denotant *e*). Ut vero gingivae generatim spectatae qualicunque demum modo a naturali habitu recendentes cum dentibus squalidis salivam, lympham, et sanguinem ipsum, ceu omnium aliorum succorum fontem, depravatum prodere solent: ita quoque excrescentiis onustae et doloribus obnoxiae ob cancrum fungosum, qui iis experientia teste frequenter subest, sese observatoribus terribiles reddiderunt *f*).

Quoniam quaecunque palati exulcerationes, si scorbutum demas, et ossium ipsorum erosiones et

criminatim, ut in hoc casu in intestina, sic alias in quaecunque cava profundentia.

c) LOMM. libr. cit. pag. 50 — 52. ZIMMERM. Diss. cit. pag. 592.

d) Plus molestiae et laboris creant gingivae laxae crassis et firmis, cum eo minus rumpantur, quo magis laxitas distensioni favet. PLENK. libr. cit. pag. 18.

e) Tertiam fere partem infantum dentitione rapi, ait idem Auctor p. 15. Rationem, cur dentitio primaria infantibus tam periculosa, in irritabilitate positam esse censet PEZOLD, quae tanto major sit, quanto quis junior est; Libr. cit. pag. 5. nullatenus tamen PLENKIUS minorem difficultatem dentitionis secundariae in irritabilitate imminuta solum, sed potissimum in gingivis jam perforatis ceu via jamjam patula collocat. pag. 13.

f) Cf. denuo loca jam citata, et TISSOT *von den Nervenkrankheiten. B. II. pag. 527.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1039804454/phys_0254
DFG

et consumptiones vix ac ne vix quidem aliud, quam malum syphilliticum, suam tyrannidem aut actu exercere, aut, si rudera modo exstant, olim exercuisse, indicant, haec quam brevissimis annotasse, sat esto.

§. 4.

De Lingua.

Si quid medico, artem facienti, curae esse debet, sane nihil magis est, quam inspectio linguae *g*). Sicut enim omnium fere incisorum testimonio et inspectione majoribus venis gaudet, substantia spongiam fere refert, et vel ideo aliis duris et densis corporis particulis aptior est ad humores serosos, et alios quosvis intra se admittendos, ab illisque colores instar lanae suscipiendos; ita etiam non solum de humorum, sed de solidorum adeo, in quae humores abeunt, indole et qualitate nos praeprimis instruere valet. Quod recentiores impulisse arbitror, ut limites angustos, quibus FIENUS *h*), ALPINUS *i*) et alii, γλωσσομαντειαν in morbis duntaxat acutis partem praesagii habere existimantes, linguae inspectionem et curam circumscripserant,

g) VAN SWIET. libr. cit. ad Aph. 85 et 739. TISSOT Avis au peuple pag. 58. ed. 3. à Lausanne 1766. PETZOLD libr. cit. pag. 33. D. GEWINNER Diss. de lingua squalida pag. 2. Erlang. 779. et Mag. Praeses, se malle omni fere alio signorum adminiculo carere, quam linguam non inspicere, toties asseveravit, quoties hac de re sermo incidit, nec certiorem indaginem de sanguinis statu aliunde hauriri posse, quam ex lingua, cum KLEINIO libr. cit. pag. 1. existimat.

h) De sign. med. pag. 168 item 89.

i) De Praesag. vit. et mort. pag. 316 et seq.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0255
DFG

non ferrent, sed ad longos quoque morbos dilatarent *k*), utpote qui in omni morborum genere ad solidarum corporis partium conditionem, succorum pravorum indolem et copiam, morbi vehementiam, primarum viarum, cum maxime ventriculi, et pulmonum mala intelligenda et dijudicanda eidem magnam inesse vim, longo rerum usu didicerant *l*). Quo majoris autem est momenti γλωσσομαντεία, eo diligentius etiam curandum est, ne quid in re tam gravi perperam fiat. Quare ante omnia eo nitendum est medico, linguam examinanti, ut morbi tempus, tempus, quo mutationes fiant, rationemque, qua mutationes aliae alias excipiant, sedulo attendat *m*), et ut hoc examen loco solis candelaeve radiis illustrato, non vero obscuro, aut crepusculo vel diluculo instituat, neque linguam arte vel casu inquinatam et coloratam, aut diligentia repurgatam, sed qualem morbus fert, inspiciat *n*), ne forte id, quod a paulo ante praegresso potu, cibo, medicamine assumto, ablutione et loci obscuritate proficiscitur, a morbo proficisci autumet, et, quod destillationibus e capite tribuendum est, exhalationibus pulmonum, ventriculi, et aliorum vaporibus tribuat *o*). Haec praemittenda

k) Grun. libr. cit. pag. 592. et Gewinn. Diss. cit. pag. 9.

l) Aret. libr. cit. pag. 100. C. Conditionem viscerum chylopoieticorum et pulmonum inspectio linguae pulcherrime demonstrat. van Swiet. libr. cit. Aph. 85 et 739.

m) Conf. de Haen libr. cit. pag. 9. Pezold libr. cit. p. 9. Gewinn. Diss. pag. 2.

n) Grun. Libr. cit. pag. 604 et seq.

o) Fien. Alpin. et Gewinn. in locis supra cit. Lomm. Libr. cit.

da judicavi. In ipsis autem notis hujus membri evolvendis de *colore* auspicari, prosequi de *mole*, et cum reliquis *habitus signis* finire, mihi animus est.

Lingua subrubra in morbis bonum exhibet signum *p*). Nam color hic humorem morbificum nec admodum copiosum, nec nimium accensum, putridum, aliave ratione vehementius corruptum, neque vasorum minimorum oscula quaedam obserata, sed linguam potius, quae colorem naturalem jam utcunque prae se fert, etiam mollitie, humiditate atque aliis qualitatibus mox talem, qualem superius, ubi de ore sano in genere, desideravi, futuram esse testatur *q*), unde, una cum hac totum quoque corpus pristinae sanitati quantocyus restitutum iri, non immerito auguramur.

Non sic, sed longe aliter se res habet, si lingua nimium rubeat. Ut enim subrubra nos de periculo securos esse jubet; ita praerubra fere semper omnia terrore complet. Nam majorem sanguinis aditum, restagnationem, inflammationem, aestum in interioribus grandem, quin et ipsorum globulorum cruoris, motu intestino perquam concitato, dissolutionem indigitat. Et

cit. pag. 82 — 85 et 113. Linguae sordes, secundum placita veterum, halitibus fuliginosis; secundum recentiorum, latici deturpato, aut egestate pernurioso debentur. VAN SWIET. loc. cit. PEZOLD libr. cit. pag. 33. Si quis anatomicam linguae descriptionem, et, quem physiologi eidem tribuunt, usum requirat, adeat dissertationem citatam GEWINNI. pag. 3 — 6.

p) ALP. libr. cit. pag. 317. FIEN. pag. 168.

q) GRUN. libr. cit. pag. 595.

hinc abunde illuceſcit, cur in angina *r*), pulmonum inflammatione *s*), eryſipelate *t*), laterum dolore, febre putrida, peſte et alia quavis acuta occurrat, cumque aliis exitium portendentibus unita peſſimi ominis eſſe dicatur. Quale vero cumque judicium de lingua praerubra tuleris; tale prorſus etiam de flava aut viridi feres, gravius tamen et intenſius. Hic enim prae reliquis bilis adverſae valetudinis incuſanda eſt, quae primas vias obſidet, humores corrumpit, putrefacit, ſui nominis febrim excitat, ſitim creat, et morbi judicationem difficilem reddit. Quae cuncta eo graviora pronuncianda ſunt, quo magis color croceus linguam inquinaverit *u*).

Prodit lingua crocea bilis abundantiam; prodit alba ſalivae viſciditatem, pituitae primarum viarum multitudinem *x*), lymphae pravam conſtitutionem, humorum craſſitiem et ſpiſſitudinem, rheumaticam et alias diverſi generis acrimonias, quae, ſi una ſordida ſeu coenoſa fuerit, ſolida relaxata, ventriculum inertem et ſordes copioſiſſimas denunciat *y*). Eſt igitur febri intermittenten-

r) Talis fuit lingua illius anginoſae, quae apud Ariſtonem agebat, et quinta die obiit, ut videre eſt in Hipp. libr. III. Popul. T. I. pag. 718. Aegr. Sept. ſimile offert lingua filii Balis, de quo itidem Hipp. in libr. VII. Popul. T. I. p. 838.

s) Lomm. libr. cit. pag. 107. et ſeq.

t) Metzg. p. II. §. 47. pag. 49. §. 214 — 218. Selle Medicina clin. pag. 83.

u) van Swiet. libr. cit. Aph. 89.

x) Gewinn. Diſſ. pag. 5 et ſeq.

y) Grun. libr. cit. pag. 601.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0258
DFG

tenti et continuae *z*), morbis diu consistentibus *a*) pulmonum inflammationi, febri putridae, in aphthas definenti, nervosae, rheumatismis, et quibusvis pectoris affectionibus a lympha oriundis pariter, ac illis morborum generibus, quae irritationi et glutini debentur, familiaris *b*). Qui vero fiat, ut lingua alba et squalida his morbis propria sit, ex dissertatione GEWINNI de lingua squalida jam saepius citata luculenter discimus *c*). Quodsi vero et linguae dorsum crusta quadam alba et crassa obductum deprehenderis, vascula membranae externae impervia, exsiccata et rigida; salivam vero aut penitus deficere, aut certe spissitudine peccare, colliges. De reliquo lingua albida initium, pallida augmentum, flava vel nigra statum morborum acutorum, ab Ill. GRUNERO *d*), CASULANUM citante, indicare dicuntur.

Omnium funestissima est lingua nigra et livida *e*); quia pars ista tunc demum hocce colore tin-

z) FIEN. libr. cit. pag. 168. GEWINN. Diss. cit. pag. 9.

a) Morbi a bile et sanguine, brevis; a pituita vero et materia melancholica, longae sunt durationis. Hinc etiam GALENO, de febribus libr. I. cap. 4. quotidianae pertinaciores tertianis videntur. Qui rem pluribus exemplis illustratam cupit, adeat FIENUM libr. cit. pag. 69 — 70. 127.

b) HIPP. de locis in homine T. I. pag. 378. DURET. libr. cit. pag. 273. 47. GRUN. pag. 595.

c) Pag. 5 — 15.

d) Libr. cit. pag. 595.

e) Lingua, quae livescit et rumpitur, lethalis est. HIPP. in coac. praenot. T. I. pag. 542. Item de affectionibus T. II. pag. 167.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0259
DFG

tingitur, quando vaſculorum obſeratio pertinaciſſima, ſuccorum putrefactio ſumma, motus humorum inteſtinus concitatiſſimus, exſpiratio, ſi tamen qua locum reperit, acerrima, calor extraneus in immenſum auctus, innatus vero fere exſtinctus, ſanguis maximopere aduſtus, et denique fluidorum aeque ac ſolidorum corruptio tanta, ut, naturae vim morbum ſuperaturam eſſe, vix ac ne vix quidem ſperandum ſit *f*). Propria eſt febribus igneis ſeu ardentibus, peſtilentibus, inflammatoriis, gangraenae et ſphacelo *g*). Nonnunquam tamen lingua nigra etiam, judicationem inſtare, admonet, quod ex ſignis reliquis declarandum *h*). At, ſi plumbea in hydrope appareat, fatum inevitabile inſtat.

Praeterquam quod colore, etiam mole, multumne periculi habeat morbus, an parum, frequenter declarare ſolet lingua. Aliquando tantopere augetur, ut ore vix contineri poſſit; aliquando vero ſummopere minuitur *i*). Unde, licet rariſſime, ſubinde tamen, ſalutaria, minus raro pernicioſa, ſaepiſſime vero perniciofiſſima vaticinari adigimur. Linguam tantopere tumere, ſalutare eſſe dicimus, quando eam ejusmodi ſignis ſtipatam eſſe contingit, quae ſuppurationem

f) Lomm. libr. cit. pag. 4. 7. 10. 173 et 179. de Haen pag. 163. Pezold libr. cit. pag. 33.

g) Grun. libr. cit. pag. 597 et ſeq.

h) Signa, natura ſua prava, ratione temporis morbi, quo fiunt, poſſunt eſſe bona, Fien. libr. cit. pag. 107. et, quae poſt notas coctionis ſalutem promittunt, ſubſtante cruditate perniciem minantur. Klein, pag. 1.

i) Prosp. Alp. pag. 319.

nem decretoriam pollicentur *k*). Pernicioſum eſt, ſi in aphthis, in variolis et inſultibus hyſtericis, vel poſt ventriculi et pulmonum morbos graviores exantlatos, et poſt reſolutionem linguae, talis appareat. Sique carnium luxuriae et excreſcentiis, vel etiam nimiae accumulationi pituitae adſcribi debeat. Denique minus periculi habet, ſi jam inde a nativitate mole major, quam par eſt, viſa fuit *l*), vel a medicamine porrecto talis exſpectata, ut in ſalivatione arte excitata fieri aſſolet. Neque in angina in molem ingentem excreſcens eſt periculoſiſſima; quamquam enim non paucos, ut verbis ALPINI utar *m*), ſuffocatos dimiſerit; plures tamen recte curati priſtinae ſanitati teſtituti fuerunt *n*). Periculoſiſſimum vero eſt, linguam, quae a volumine conſueto usque adeo recedit, eſſe magnam et una nigram, ſiccam et balbutientem, in pulmonum inflammatione exporrectam, in motu perpetuo manducantium more praeter voluntatem conſtitutam, nimium contractam et imminutam, ſive e paulo ante maximopere tumente et turgente praeter ſpem et ſubito talis facta ſit, ſive ab initio talis, aut ſenſim paulatimque ad molem adeo exiguam redacta fuerit. Namque lingua magna, ſicca et balbutiens delirium *o*), expor-

re-

k) Signa haec diſces ex Ill. GRUNERO pag. 487.

l) Quae ſunt ex natura, pro malis non ſunt habenda, FIEN. pag. 100. Noverat Ill. SWIET. puellam, cui lingua tantopere aucta fuerat, ut extra os infra mentum penderet, integerrimis tamen deglutitione, loquela et guſtu, libr. cit. Aph. 55.

m) Pag. 319.

n) VAN SWIET. Comm. in Aph. 788. 807.

o) BAGLIV. de Fibra Motric. pag. 256.

recta et per os hinc inde citra rationem curſitans, aeſtum vehementiſſimum, contracta et ultra modum imminuta aeque calorem intenſiſſimum e. c. in eryſipelate pulmonum *p*) humores parciſſimos, et febrim quam maxime furientem *q*), magna vero et nigra, mortem ſignificat *r*), ni fortaſſis alia ſigna complura notae melioris adverſentur. Complura, inquam: nam illius KLEINIANI probe meminiſſe oportet: *unum e multis ſignis pravum multis bonis in necando plus virium habet, quam plura ſimul bona in liberando s*). Nec abſonum erit, et illud morale huc ducere: *Bonum ex integra cauſa, malum ex quolibet defectu.*

Ad reliqua habitus ſigna cum plerisque refero: *linguam mollem, duram et denſam, ſiccam, aduſtam, coenoſam, viſcidam, glutinoſam, inaequalem, aſperam, biſulcam, fiſſam, ulceratam, bullantem et puſtulatam.*

Lingua mollis nunc boni, et nunc mali omini exhibet ſignum, pro ratione temporis, quo apparet, et prouti reliqua ſymptomata, quae una coincidunt, boni aut mali quidquam portendunt. Linguam molleſcere et humidam fieri, atque a ſordibus et cruſtis, quibus infecta fuerat, liberari, cruditate et coctione, magno aeſtu et ſiti, vehementi totius oris et faucium ariditate, acceſſione antevertente, longiori et importuniori *t*) antegreſ-

p) LOMM. pag. 110.

q) ARET. libr. cit. pag. 5. LOMM. libr. cit. pag. 107. GRUN. libr. cit. pag. 598 et ſeq.

r) HIPP. Popular. libr. V. T. I. pag. 785.

s) KLEIN. libr. cit. pag. 1.

t) LOMM. pag. 27 et ſeq.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0262
DFG

greſſis, non ſiniſtre inter bona indicia referunt auctores. Etenim hinc diſcere licet, acria obtundi et miteſcere, omne genus materiae peccantis, et cruda quaeque diſceſſum parare, neque quidquam, quod flamina nervoſa amplius pungeret et titillaret, aequabilem humorum motum ultra turbaret, aut, quo inutiles moleculae minus expellantur, impediret, febris fomitem jam exſtinctum denuo reſuſcitaret, aut languore, laſſitudine, ſpaſmo, et aliis gravaminibus aegrum exerceret, ſubeſſe; ſed potius, emortuis vaſorum extremis a partibus vivis, humorum appulſu ſeparatis, quaecunque corporis emiſſaria rite patere, tranſpirationem ex voto ſuccedere, corpus non aeſtuare, ſed convenienti ſolum caloris gradu gaudere *u)*. Neque in acutis tantum, ſed etiam in hydrope fauſtus huic ſigno plerumque reſpondet eventus *x)*. Aſt, ubi derepente praeter ſpem et rationem lingua humida et mollis inciderit, tempore cruditatis et coctionis nondum elapſo, nauſea, alvo fuſa, et ſudore frigido comitibus, nulla ſalus expectanda eſt, ſed, aegrum brevi ad plures abiturum, praedicendum *y)*.

Quod vero linguam duram et denſam, horridam, aſperam, ſcabram, fiſſam, ſciſſam, ulcera-

u) VAN SWIET. libr. cit. Aph. 739. SCHAARSCHM. libr. cit. pag. 484. PEZOLD libr. cit. pag. 33.

x) HIPP. Praed. libr. II. T. I. p. 496. KLEIN pag. 137.

y) Si lingua, quae modo tumuit, derepente concidit, plenariam toni fibrarum extinctionem, et putridam et gangraeneſcentem diatheſin, ſecundum Exper. PEZOLDI effatum, oſtendit pag. 34. ſecundum HIPP. vomitus niger indicatur, qui itidem mortis nuncius. Praenot. Coac. pag. 542 et ſeq. T. I. LOMM. libr. cit. pag. 136.

ratam et exuſtam attinet, ut vel digitum explorantis ſenſu ingrato afficit; ita mentem ejus pavore ſummo afficiat, eſt neceſſe. Siquidem fere nunquam ſpem injicit, fore, ut aeger convaleſcat; ſed potius, omni tempore morbo quodam atrociſſimo, ſymptomatum diriſſimorum comitatu ſtipato eundem vexari, et ultima fata inſtare, declarat. Sunt autem morbi et ſymptomata, quae ſuam praeſentiam hacce lingua manifeſtant, inflammationes variae, praeprimis cerebri, pulmonum, ventriculi, reliquorum viſcerum, peſtis, febris ardens, aphthoſa, tabes, delirium, phrenitis, oris, faucium, ſtomachi, ventriculi, et quidquid nomine primarum viarum venit, ſiccitas, ſpaſmi, rigores, convulſiones, gangraena, et in anginoſis ſuffocationis minae haud contemnendae *z)*.

Lingua mucoſa et ſordida, ſeu, ut aliis eam vocare placet, coenoſa et pellicula quadam tecta frequenter quidem in ipſis recta valetudine utentibus occurrere ſolet; nihilominus tamen in morbis acutis omni metu non vacat: nam ea cuncta praeſagit, quae lingua alba et ſqualida. Meliora promittit lingua biſulca ſeu dimidiata, utpote quae, febrium vires frangi, aeſtum mitigari, et inflammationem brevi diſcuſſum iri, docet *a)*.

Non

z) DURET. libr. cit. pag. 28. 47. 137. 182. 273. 274. 369. 512. ARET. libr. cit. pag. 11. 16. 53. 55. 61. FIEN. libr. cit. pag. 168 et ſeq. PROSP. ALP. libr. cit. pag. 316 — 323. LOMM. libr. cit. pag. 6. 7. 10. 62. 107. 110. VAN SWIET. libr. cit. ad Aph. 609. 702. 739. 772. KLEIN libr. cit. pag. 87. 90. 175. 229. omnia vero in unum contracta apud Ill. GRUN. libr. jam ſaepius citato reperies pag. 599 — 601.

a) HIPP. de dieb. jud. T. I. pag. 432. 433.

Non raro etiam contingit, linguam bullare, et variis pustulis obsessam esse, ita ut eam ferro candente adustam fuisse arbitrareris. Unde semper gravia et periculi plena discere licet; quid enim, quaeso, aliud ex ejusmodi lingua colligeres, quam salivam principem suam dotem, blanditiem nempe, qua, quibus destinata est muniis obeundis apta reddatur, amisisse; canaliculos et meatus, qui humores, linguam irrigantes, advehant, vel spasmis constrictos, vel materia quadam peregrina refertos; vel alia quacunque demum ratione immeabiles redditos: halitus, vapores et exspirationes, quae e pulmonibus, ventriculo, et reliquo ventre infimo assurgunt, sicut et ea, quae e cranio defluunt; irritare, corrodere, et stiptica quasi vi agere, atque hinc indicationem aut perquam difficilem, aut lethalem fore?

Expositis itaque signis (quantum nempe penes me fuit), quae ex oris habitu desumi possunt; ad ea pertractanda me accingam, quae ex oris actionibus desumuntur.

Caput II.

De signis ex oris actionibus desumendis.

Actionum *b*), quas os edere solet, alias esse natura sua ita comparatas, ut ad sui productionem plu-

b) Neminem puto fore, qui alias actiones hic in censum vocari existimet, quam animales. Signa ab his desumta tan-

plurimae, si non omnes, oris partes concurrere debeant, alias vero ita, ut ab una alterave, reliquis quiescentibus, perficiantur, jam dudum observatum est c). Hinc palam fit, ex ipsa oris actionum natura duplicem prodire classem; alteram, quae actiones toti ori communes, et alteram, quae certae modo alicui ejus parti proprias complectitur. Quare me optime divisurum arbitror, si eum ordinem, quem mihi natura ipsa offert, amplexus fuero. Ac proinde mihi *primum de actionibus iis* agere licebit, *quas os universum*, neglecto partium singularum respectu, promere solet; *secundo* vero *de iis*, *quas ratione partium singularum* habita edit. Ita enim, signa, quorum ministerio solo fieri potest, ut medicus postulationem divini HIPPOCRATIS multo maxime arduam (*Praeterita dicito*, *Praesentia cognoscito*, *Futura praedicito*) utcunque adimpleat, citra ullum negotium colligi posse, existimo. Quamdiu os, qualicunque demum respectu habito, nutui recte sentientis animae paret; tamdiu ex ejus actionibus nihil, nisi optima quaeque, judicare licet; quam primum vero jugum obedientiae, si ita loqui fas est, excusserit, sanitatis laesae suspicio gravis movetur, seu inobedientia haec in exaltatione, seu in imminutione, seu etiam in ordinis perturbatione, vel, ut alii loquuntur, in excessu, defectu, vel utriusque commixtione locata fuerit. His praenotatis, jam ad rem ipsam.

§. 5.

tanti afferit esse usus Excell. PEZOLD (quod encephali conditionem manifestam reddant), ut ceteris omnibus anteponenda esse videantur, p. 54.

c) ZIMMERMANN. Diss. pag. 12.

§. 5.

De actionibus Oris in genere spectati.

Actiones, quae ab ore, hoc modo spectato, perficiuntur, quaeque Semiologi attentionem promerentur, secundum meum quidem judicium, consistunt in oris *hiatu*, *occlusione*, *distorsione* et varia *convulsione*; quae cuncta aeger aut non animadvertit, aut, etiamsi animadvertat, eadem tamen pro suo arbitrio cohibere, intendere, vel relaxare non valet.

Inde a divini HIPPOCRATIS *d*) temporibus aegros hiante ore dormire, pro malo signo habitum est. Nec immerito. Etsi enim pro malo indicio haberi non debet, aliquem ore hiante ex consuetudine dormire *e*); neque tunc notabile periculum subesse censeri, quum quis, ob pituitae abundantiam, qua nares obstruuntur, ore hiet: in morbis tamen acutis *f*), hunc hiatum vi suae malignitatis producentibus, praesertim si supinus situs, pedum contorsio et inflexio una inci-

d) In Praenot. pag. 450. T. I.

e) Et hi adeo, qui ex more solum ore aperto somnum capiunt, passim suas luunt poenas; haud infrequenter enim accidit, ut insecta varia illabantur, et varii vermes irrepant. Aëris vero ingressu pulvisculos una illuc deportari, siccitatem induci, dentes ratione multiplici demoliri, et alias insignes noxas ori inferri, non est, quod multis evincere studeam. Cf. HIPP. de Veteri Med. no. XXXIX. T. I. pag. 37. DE BERG. pag. 13. §. XXX. et BAC. DE VERULAM. qui libr. cit. pag. 373 — 375. aëris vim praedatoriam esse dicit.

f) PEZOLD. §. 45. Item GRUN. pag. 588.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0267
DFG

derint, experientia teste semper lethale fuit g). Sive enim nervos, sive musculos huic actioni destinatos in examen voces, continuo deprehendes, et hos et illos quam maxime laborare. Musculos quidem irritabilitatis, cui fere omnem sui vigorem debent, dispendium et prostrationem summam pati; nervos vero succi sibi competentis prorsus nihil continere, aut quantitate admodum exigua instructos esse, aut ratione nobis incognita a transfusione sui fluidi in fibras musculares impediri. Quotus vero quisque est, qui nesciat, huic nervorum, ligamentorum, musculorum, in primis temporalium, masseterum et pterygoideorum resolutioni debilitatem summam, mentis alienationem, mortem denique ipsam succedere, saepe saepius observasse priscos, observare recentiores h)?

Interim nequaquam tibi persuasum habeas velim, ex opposita actionum oris laesione melioris notae vaticinium formari posse; namque hoc adeo non obtinet, ut potius itidem praedictio funesta inde prodeat. Quemadmodum enim hiatus oris ligamentorum, musculorum, nervorumque paralyticam affectionem, et mala quaeque inde secutura indicat; ita os praeter voluntatem arctius occlusum eorundem musculorum vim irritabilem plus aequo exaltatam, influxum nervorum liquidi et impetu et copia nimium, violentiam, et, qui haec pro more subsequuntur, spasmos et convulsiones, ut epilepsiam et alia similia denunci-

g) Semper lethale est, (aegrum) hiantem dormire. Hipp. libr. cit. Lomm. pag. 10 et 12.

h) Tissot. libr. cit. T. III. pag 24 et 25.

ciat, quae, licet, infantibus ante variolarum eruptionem accedentes, tanti momenti non sint, quoniam post hanc sua sponte iterum desinunt, et, ut SYDENHAMIUS expertus est, variolas boni moris protrudunt *i*); adultis tamen et extra variolarum tempus etiam infantibus mali gravioris metum semper incutiunt. Solet etiam quandoque os varie distorqueri, ex quo pariter elucescit, spasmos et convulsiones, nervorum distensiones et resolutiones urgere. In specie autem os foede distortum spasmi cynici et risus sardonici sequela, apoplexiae vero, aliis signis conspirantibus, prodromus esse dicitur. Hoc ultimum, cum oris spuma copulatum, de animae diuortio cum corpore: convulsio autem canina et sardiasis de hepate, diaphragmate *k*) et utero inflammato, vel alio modo graviter affecto nos admonent. Vulneribus supervenientes itidem aegrum e vivis tollunt. Ultimo tandem et os varia ratione convelli observatur. Ex hoc ultimo actionum laesarum phaenomeno, quas os ut unum seu ut integrum promit, non minus, quam e praecedentibus tribus nervos se pessime habere, acri quadam materia irritari, tantaque cum molestia affici *l*), ut spiritus eorum in motus quam maxime irregulares cieantur, discimus. Quodsi vero os tali modo convulsum pro ratione eorum morborum, quibus hic status prae ceteris familiaris est, spectemus, morbi caduci, eclamsiae, melancholiae et furo-

i) SYDENH. libr. cit. pag. 161 et seq.

k) Cf. DE HAEN libr. cit. pag. 17. 109 et 110.

l) Quemadmodum optimum est, corpora facile moveri, ita, non rite moveri, malum. PROSP. ALP. pag. 19.

ris insultum praesignificare consuevit. Oris contorsiones, distractiones, rictus et gyrationes, quas passim in conversationibus ad aviculae alicujus cantilenulam, aut fabellae enarratiunculam fieri animadvertimus, teste FRANKIO saeculum effeminatum sapiunt *m*).

§. 6.

De Partium Oris singularium actionibus.

Cognitis iis, quae medicus ope oris stricte sumti cognoscere potest, transgredior ad partes singulas lustrandas. Primitus labia sui attentionem postulant. Labia subridentia. Monere velle, hic de risu naturali, cujus anima sibi conscia est, sermonem non esse, sed de eo, qui aegritudinibus ut symptoma accedit, et ad cujus productionem nec intellectus, nec voluntas cooperatur, supervacaneum foret, grataeque brevitati injuriosum. Labiorum forma talis, qualis est subridentium, in iis, quos morbus comitialis, malum hypochondriacum, aut passiones hystericae exercent, nervorum quidem distensionem manifestat, non tamen usque adeo periculosam, uti alias *n*).

At

m) *Man hätte es aber doch nicht denken sollen*, inquit, *dass die Enkel der eisenmässigen Germaner und rauchbleibigten Gallier, bis auf diesen Grad der Verzärtlung herabzusinken, im Stande seyn würden, dass die Gegenstände, welche unsere Empfindungskräfte auf eine ruhige Weise rege machen sollen, nichts als sinnlose Verzerrungen, Wahnwitz und überspanntes Gefühl hervorbringen. l. c. pag. 619 — 624.*

n) Convulsiones hystericis faciles. HIPP. in Praedict. T. I. pag. 481. Mulieres magis, quam viri, nervorum disten-

si-

At longe majus periculum subesse creditur, si ii, quos febris acuta tenet, labiorum distractione ita agitentur, ut quis eosdem ridere autumet *o*). Siquidem inter morum doctores jam in proverbium abiit, e risu multo cognosci stultum, ubi tamen sola disproportio inter rationem, quae risum movet, et risum ipsum peccat; quidni artis medendi magistris fidem habebimus, qui similibus in aegro apparentibus eum protinus recto rationis usu destitutum inque furias actum iri asseverant?

Labiorum tremor maxime vero inferioris *p*), si HIPPOCRATEM audias *q*), delirium vehemens, si GALENUM *r*), sordes primarum viarum, si LOMMIUM *s*), vomitum decretorium praesagit *t*). Labia contracta alvum a bile fusam; distorta et pendula, si febres intermittentes excipias, in quibus hocce signum adeo funestum non est, ultimum vitae stadium, retracta denique et inversa,

sione tentantur: verum etiam frequentius liberantur. ARET. libr. cit. pag. 3. Cf. VAN SWIET. libr. cit. in Aph. 712. 713. TISSOT. libr. cit. T. III. pag. 3. 38 — 40. GRUN. libr. cit. pag. 586.

o) PEZOLD. pag. 52.

p) An labii hujus tremor vomitu instante communioni paris vagi cum nervis maxillae inferioris tribuendus? Annuit rationis dictamen; renuit anatomicorum industria. Cf. TISSOT. *von den Nerven* T. I. p. 55 — 62. 72 — 75. T. II. pag. 527. 602. 603. 608.

q) De victu acutor. T. II. pag. 285 et seq.

r) In libr. III. de crisib. cap. ultim.

s) Libr. cit. pag. 35 et 136. Conf. et DE BERG. Diss. cit. §. X. PEZOLD. libr. cit. pag. 17 — 18. 31.

t) VAN SWIET. sub finem Aph. 1080. TISSOT. T. II. pag. 545 et seq.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0271
DFG

ore omni suo ambitu intumescente, aegros elephantiasi consumi *u*) docent.

E dentium notis, considerata dignissimis, sunt eorundem stridor atque convulsio. Dentibus stridere iisque more manducantium strepitum excitare, atque adeo fremere, valetudinis longe diversissimae indicium est. A levissimis auspicabor. Dentium stridor consuetudinis gratia, praeterquam quod inurbanitatem redoleat, et dentes ante diem atterat, ominosus non est. Jam vero mali quidquam innuit, qui lactentibus contingit; nam, bilem coacuisse, atque nervos inde male sollicitari, arguit: majorem priori attentionem requirit, a quo pueros exerceri animadvertimus; quoniam et ejusmodi biliosae acrimoniae et vermium intestina corrodentium testis non infidus est *x*). At ubi aut aetate provectis acciderit, aut in trismum commutatus, id est, cum maxillae inferioris distensione et musculorum temporalium et masseterum violenta constrictione alterna copulatus fuerit, omnia luctu terroreque complet *y*). Ut enim bilem corruptam, vermium reptatus et morsus, nervorum sollicitationes, convulsiones, iram, vulnera, fracturas, luxationes et similia dentium fremitus et maxillae distensio; ita etiam has conquassationes involuntarias ex his causis oriundas, affectibus phreniticis eva-

u) Zimmerm. Diss. cit. pag. 20. Lomm. libr. cit. pag. 53 et 54. Grun. libr. cit. pag. 589.

x) Lomm. libr. cit. pag. 158 — 161.

y) Haec enim symptomata, naturam et praesertim animalem morbo inferiorem esse, denotant; auctore Alp. libr. cit. pag. 20.

evanescentibus, tantum rarissime mors non sequitur z).

Si dignitatis rationem habuissem, utique ante omnia de lingua, ceteris exhibendorum signorum adminiculo celebriori, mihi agendum fuisset; malui tamen de iis prius agere, quae prius in oculos incurrunt. Fit autem tale adminiculum lingua tunc, quando ex morbo contremiscit, convellitur, resolvitur, gustus et motus abolitionem aut depravationem patitur, quibus hujusce organi actionum laesiones absolvi, plerisque videntur. Quoniam vero haec symptomata duplicem sui agnoscunt originem, siccitatem nimirum et plenitudinem; etiam, duo praesagiorum genera inde formari debere, in aprico est. Hoc, quod a siccitate promanat, longe formidolosissimum; illud vero, quod abundantiae adscribitur, adeo reformidandum non esse, artis magistri perhibent a). Penitius jam in rem inquiramus. Linguam contremiscere, ex mente auctoris prorrheticorum, insipientis est, et virium vitae prostrationem haud contemnendam denotat. Et licet communiter phreniticis solummodo exitium propinquum portendere soleat b); nihilominus tamen, etiam quibusvis aliis male valentibus diem supremum illuxisse, toties annunciat, quoties

z) Convulsio mortis praecursor. Bac. de Verulam. libr. cit. pag. 456.

a) Tremulae seu trementes (linguae) quoque in acutis morbis apparent, quae, si intensissimam siccitatem sequutae sint, prorsus exitiales erunt. Prosp. Alp. pag. 322.

b) Phrenitica in vehementer trementia finiuntur. Hipp. in Praedict. libr. I. T. I. pag. 472.

cum alvi fluxu ſymptomatico accidit c). Qui tamen linguae tremor, ſi cum narium rubore unitus fuerit, inter ea criſeos ſigna ſibi locum vindicat, quibus apparentibus aut per ſanguifluxum e naribus, aut per ejectionem peccantis materiae vomitu aegrotantes ſalutem brevi conſecuturos eſſe, praeſtolamur.

Fit quoque, ut linguae tremulae convulſio aſſocietur. Quod ubi contigerit, pejoris notae ſignis adnumerari debet: nam motus inſtrumentorum aritudinem duritiemque perquam magnam, accurſum ſanguinis ad caput rapidiſſimum, virium vitae jacturam perinſignem, cerebrum compreſſum, diſtentum, aut alia ratione graviter affectum ſuaque vi ſpoliatum, deliria, convulſiones, phrenitidem, nervorum reſolutionem quam proximam, diaphragmatis affectus, pleurae inflammationem, pulmonum corruptiones, morbos alios praeter modum torrefacientes, et plerumque immedicabiles, ac proinde praeter mortem nihil augurari concedit. Similis plane ſignificatus eſt vox clangoſa, interciſa, inaequalis, acuta, ſtridula, interrupta ſeu effracta, confracta et prolabunda, querula, lugubris ſeu luctuoſa, tremula, obſcura, balba, tarda, imminuta, et quae ſunt hujus generis, ſit febre diuturna vel acuta laborantium, ſit delirorum, phrenitico-rum, ſit denique aliorum graviter decumbentium, ſemper enim voces vitiatae potentiam praelanguidam et vocalium inſtrumentorum ariditatem ſummam ſequuntur. Et, ſi LOMMIO ſua conſtet fi-

c) Cum voce (idem quod lingua) tremula praeter rationem alvi ſolutio lethalis. Idem in Coac. Praeſ. T. I. pag. 542.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0274
DFG

fides, morbum attonitum comitialem, lethargum exſpectari jubent *d*).

Linguae reſolutio, paralyſis ſeu aphonia. Haec linguam movendi impotentia tenore quidem ſimili vaticinandi materiem ſubminiſtrat, ſed graviori tamen et magis metuendo. Si enim ab effectus gravitate et intenſitate ad cauſae vehementiam valeat illatio; plus ſane metus incutiat, oportet, vocis interruptio plenaria, quam balbuties aut qualecunque aliud vitium ejus. Diſcimus vero, ſi rem cum GALENO *e*) in genere ſpectemus, ex aphonia, paulo ante enumerata mala non tantum inſtare, ſed jam praeſentia eſſe, remque jam ad extrema rediiſſe, organa, loquelae dicata *f*), et nervorum principium, medullam oblongatam et ſpinalem colli, vitae moventis ſedem non cum tempore fortaſſis male affectum iri, ſed jam reapſe male affici et peſſime haberi. Unde luce meridiana clarius evadit, cur linguae reſolutio, paucis modo exceptis, ut in verminantibus, hyſtericis, hypochondriacis, largiter ſudantibus, vel mingentibus; ſemper talium morborum comes, prodromus aut ſequela ſit, quibuscum et naturae vires, et artis molimina fruſtra luctantur *g*). Sic aphonia, quae convulſiones vel capitis dolores ſequitur, quae poſt lapſum gravem cum eruptione ſanguinis e naribus

d) Pag. 60.

e) In I. Prorrhetic. text. 23 et 24.

f) Partes praecipuae, quarum laeſione ſermo intercipitur, manentibus tamen aliis functionibus integris, ſunt larynx et ejus muſculi, thorax, pulmones, nervi recurrentes etc.

g) PEZOLD. libr. cit. pag. 53. FIEN. HIPPOCRATEM citans libr. cit. pag. 228.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0275
DFG

bus, ore, auribus et cum vomitu accedit *h*), quae ringentibus contingit, in febre sine judicatione, vel cum febre post judicationem evenit, quae brevi, cum sudore capitis in febre vehementi, cum sudoribus frigidis, interna ustione, comate, catalepsia et aliis perniciosis signis stipata est, semper lethalis censetur. Equidem non ignoro, aliquando fieri solere, ut mortem post se non trahat linguae resolutio, est tamen illa in plerisque casibus morbus sat gravis, pertinax, diuturnus et vel in ipsa aetate juvenili vix, in provecta vero ne vix quidem sanabilis. Summa omnium, quae sperare licet, est recuperatio facultatis manducandi et deglutiendi, non tamen loquendi *i*).

Gustus depravatus humores depravatos et sordes significat, quorum halitus et vapores, propter summam in intima penetrandi vim, nedum linguam proprium gustus organon, sed et fauces oesophagum *k*), quinimmo nervos et ipsum adeo cerebrum *l*), sua indole ita imbuunt, ut non solum saporis cujusdam alieni molestia aegrum continuo excruciet, verum etiam non nisi hunc praeexistentem saporem perpetuo sentiat, quidquid sa-

h) Lomm. libr. cit. pag. 95. et seq.

i) Haec cuncta fusius tractata, exemplis illustrata, auctoritate Hippocratis (in cujus effatis teste de Haen series 23 saeculorum nihil reprobare potuit) Galeni et aliorum corroborata, et rationum pondere adeo evicta apud Fienum, libr. cit. pag. 229. Alpin. libr. cit. p. 220—224. et apud Swiet. libr. cit. Aph. 1063. reperiantur.

k) Cf. Hall. prim. Lin. Phys. Cap. XIII. de guft. pag. 248—255.

l) Alp. libr. cit. pag. 114.

sapidi forinsecus eidem adferatur *m*). Si igitur aeger de sapore ingrato et peregrino conquestus fuerit, lingua simul glutine obducta, aestus magnitudinem, si febris urgeat, salivae et reliquorum humorum vitia *n*), digestionem laesam, primarum viarum sordes, et, quae hinc nascuntur, varias acrimonias colliges *o*); si de sapore amaro *p*), pinguedinem corruptam et rancidam, bilem in ventriculum redundantem, intestina coinquinata, morbum regium, febrim bilioſam et similia subesse putabis; si de sapore dulci, de sanguinis eruptione e pulmonibus; si de acido, de acoris copia; si de urinoso, de putredine incipiente; si de salso, de morborum longorum diuturnitate et acutorum brevitate; si de sapore quodam acri, non tolerando, de vomicis pulmonum opertis *q*), et si denique de sapore foetido, de humoribus depravatis canalis alimentarii, de viscerum internorum corruptione, de gangraena monearis. At est, ubi aeger nihil horum incusset, sed potius sibi omnia inania, vappida, fatua et quasi lignosa videri, seque omni gustu destitui contendat, quod ubi fieri deprehendimus, linguae sensum aboleviſſe constat. Quoniam vero gustum, ope et ministerio papillarum nervosarum linguae, cumprimis apicem ejus *r*) obsidenti-

m) Fien. pag. 203.

n) Pezold. libr. cit. pag. 69. §. 113.

o) Grun. libr. cit. pag. 253.

p) Lomm. libr. cit. pag. 134. 167.

q) Idem pag. 112.

r) Papillae sensus acerrimi sunt conicae, quae in linguae apice et marginibus plurimae reperiuntur. Vid. Ill. Hall. locum supra citatum.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0277
DFG

tium, fieri cognitum est, ex hujus sensus abolitione, ratiocinio castissimo, deducitur, has indignius tractari, et ratione adeo iniqua affici, ut suum officium praestare non valeant. Si vero hanc impotentiam res sapore praeditas apprehendendi eatenus perpendamus, quatenus ejus auxilio ea, quae in morbis, quorum symptoma est, per se adhuc obscura sunt, saepe agnoscimus, ob sequentia sui attentionem de naturae ministris promeretur. *Primo* quidem calorem, quem animalis oeconomiae salus mitem ac blandum requirit, in immensum auctum atque exaltatum, humida exhaurientem et dissipantem, nervorum extrema arefacientem et obtundentem non solum per linguam, sed per totum corpus diffusum; *secundo* arteriarum exhalatorios, qui liquidum, solvendis salibus perquam necessarium, de sanguine separent, et linguae superficiei affundant, inque perpetuo madore conservent, aeque ac venularum inspiratorios, qui soluta absorbeant, et absorpta ad ipsos nervulorum usque apices *s*) deportent, salibusque afficiant, villos obseratos; *tertio*, praeter linguae et totius oris poros, rorem quendam exhalantes, impervios, etiam ductuum majorum constrictionem salivae, cujus beneficio itidem mollities conciliari solet, defectum inducentem, et *quarto* denique muscosum illud et semipellucidum papillarum involucrum hominibus proprium *t*), cujus deligatulae structurae sensus acumen *u*), quo lingua alia sensuum organa praecel-

s) DE HALL. libr. cit. pag. 253. VAN SWIET. libr. cit. Aph. 988.

t) HALL. libr. cit. pag. 251 — 252.

u) Idem pag. 254.

cellit, maxima ex parte ita in acceptis referendum esse putaverim, sicut ejus praesentia nervuli teneri ab immediato contactu custodiuntur x), in mucum crassissimum, omnia conglutinantem, in modum corii obducentem, et sine qua gustus produci nequit, papillarum nervearum arrectionem prohibentem, transformatum ostendit. Sigillatim vero hoc phaenomenon in febribus acutis, quibus admodum familiare est, fere semper una cum febre evanescit, et eatenus, quatenus efficit, ne ventriculus ingestorum pondere gravetur, inter salutaria naturae molimina conjiciendum est; alias vero a signis reliquis, quae ejus societatem ingrediuntur, fausti infaustive eventus significatio depromenda est. Ceterum, quotiescunque aut in morborum principio, aut coctionis signis antegressis, vel judicationis proximae apparentibus, linguam contremiscere, convelli, resolvi aut gustu destitui animadverteris, toties a turgescentia ac humorum abundantia et cruditate ortum trahere, atque adeo juxta ea, quae sub initium monenda duxi, tantum periculi non habere, scito.

Equidem lubens fateor, mihi nunc de signis ab oris excretionibus desumendis agendum esse; si nullum sit promissum, quod non cadat in debitum: cum tamen nec temporis ratio, nec pagellarum angustia, minus adhuc negligens aut temeraria oscitatio, sed omnino graves rationes me

x) Gewinn, Diss. cit. pag. 5.

me prohibeant; ſpecimini meo colophonem imponere non dubito. Si vero quis eſt, qui caput tertium ſerio deſideret, illi in fidem dictorum meorum FIENUM *y*), ALPINUM *z*) GRUNERUM *a*), et WEBELUM *b*), e quibus alioquin plurima in hoc caput transtuliſſem, commendo. De reliquo omne pretium, ſi quod huic diſſertatiunculae inſit, diſcipulorum ſuorum ſtudioſiſſimis hujus ALMAE ACADEMIAE PROFESSORIBUS tribuendum eſſe, mente gratiſſima profeſſus, et illos, quibus fortaſſis minus feliciter in ea verſatus videbor, ut pro aequitate academica hoc ſcriptum metiantur, deprecatus, Deum immortalem coeli terrarumque rectorem exoro, ut opuſculum iſtud, quod Ipſo auſpice compoſui, et in ipſius gloriam, et in generis humani ſalutem cedere jubeat.

y) Libr. cit. pag. 387 — 393.

z) Libr. cit. pag. 509 — 534.

a) Libr. cit. pag. 342 — 356. 503 — 505.

b) Diſſ. cit. de Sputis.

IX.

IX.

Dr. RUDOLPH. AUGUSTIN. VOGEL

resp.

BERNARD. DIETER. FRANCISC. STEINECKE.

Dissert. sist.

Hydropis ascitis semiologiam.

Goettingae, 1764.

---

§. 1.

Semper lymphae certa determinataque quantitas in unoquoque corporis nostri cavo reperitur. Reperitur in abdominis cavo in forma halituosa excreta: parietes enim, abdominis cavum formantes, madidi sunt, viscus imi ventris quodcunque madidum est, vitrum politum, idque unicuique parti admotum, fluido aquoso suffunditur, nec minus idem illud ex animali recenter mactato in auras attollitur. Idem statuendum de thorace, idem de capite, idem de cavis reliquis est. Praeterea dici vix potest, viscus quoddam lymphaticis vasis destitui, quamvis detecta in omnibus non sint: quanto enim saepe detegantur labore, viscera, quae iis abundant, docent

uberrime. Quemadmodum vero memoratis modo cavis partibusque lymphae certam determinatamque copiam semper contineri jure meritoque statuitur, ita hanc tunicae adiposae inhaerescere nullum dubium est; neque unquam segregari potest pinguedo, nisi admixta lympha debitum ipsi fluorem conciliaverit.

§. 2.

Itaque secundum naturam in corpore nostro cum intra vasa, tum extra ea, lymphae certa determinataque quantitas reperitur, quae, praeter naturam multiplicata, hydropem sane constituit. Est igitur *hydrops*, quantitas lymphae praeter naturam aucta; haec intra tunicam adiposam contenta, *anasarcam*; contra vero extra istam reperiunda, *ascitem* constituit. *Anasarca* igitur, quam etiam *hyposarcam*, item et *katasarcam* vocant artis periti, nec non *leucophlegmatiam*, cum ad summum evecta gradum est, tunicae adiposae hydrops est: contra vero ascites hydrops cujuscunque partis est, a tunica adiposa diversae.

§. 7.

Quod hydropem asciten concernit, abdomine is, thorace, capite, partibusque adnexis, inclusus tenetur, unde hydrops abdominis, thoracis, capitis, partiumque adnexarum. Quod ad abdominis spectat hydropem, is

a) extra peritonaeum, ideoque inter peritonaeum atque abdominis musculos inclusus tenetur. *Peritonaei* vocant *hydropem*, qui potiori jure *externus* adpellandus esset.

b) in-

b) intra peritonaeum, isque in oppositione prioris *internus* nominandus. Hujus vero species sunt:

α) Hydrops cavo abdominis inclusus, hoc est, vel peritonaeum inter et omentum, vel omentum inter et viscera, seorsim aut conjunctim; isque *hydrops abdominis* stricte sic dictus est.

β) Hydrops omento inhaerens, qui etiam *hydropis omenti* nomine insignitur.

γ) Hydrops inter membranam viscus investientem et subjectam partem locatus: *Hydropis vesicularis* nomen gerit, ipsaeque vesiculae lympha repletae *hydatides* audiunt, eaeque nunc visceribus membranosisque partibus adhaerescunt, nunc libere fluctuant.

δ) Hydrops ipsa viscera obsidens.

§. 4.

Ad pectoris hydropem quod pertinet; is

a) extra pleuram continetur, hocque definito

α) pleuram inter atque musculos infracostales, *hydropem pleurae* sive *pectoris saccatum* adpellant.

β) inter laminas mediastini, a pleura formati, *hydropem mediastini* dicunt.

b) intra pleuram, eoque constituto

α) in cavo thoracis, utpote cui *hydropis pectoris stricte dicti* nomen est.

β) in superficie viscerum thorace contentorum; qui ex hydropis vesicularis numero est.

γ) in cavo pericardii, quem hydropis pericardii adpellatione comprehendunt:

δ) intra pulmones ipsos.

§. 5.

Quod capitis spectat hydropem, utpote *hydrocephali* nomen sortitum; hic

a) extra cranium pedem figit, *externus* dictus; isque

α) spatium inter cranium pericraniumque situm occupat:

β) inter pericranium et cutem reconditur, ideoque tunicam adiposam tenens non quidem ad asciten, sed ad anasarcam jure refertur.

b) intra cranium subsistit, huncque *internum* adpellant, isque interjectus tenetur

α) cranio et durae matri:

β) durae matri et piae:

γ) piae matri et cerebro:

δ) cerebro.

§. 6.

Quod reliquas partes easque adnexas concernit; habetur

a) Hydrops oculi, *Hydrophthalmia* dictus:

b) Hydrops gutturis.

c) Hydrops umbilici, *Hydromphalus* audiens:

d) Hy-

d) Hydrops testiculi, *Herniam aquosam* vocant et *Hydrocelen*, eaque

α) *externa*, quippe tunicae vaginali testiculoque interjecta.

β) *interna*, inter corpus testiculi tunicamque albugineam sita.

e) Hydrops medullae spinalis, quem in spina bifida est videre.

f) Tumores aquosi in cute erumpentes.

§. 7.

His praemissis, jam de singulo genere hydropis speciatim edisseram: et primum quidem de abdominis hydrope, eoque externo, quem *peritonaei hydropem* adpellant. Is vero non uno eodemque modo sui adventum designat. Ita enim

a) imi ventris dolores praecedunt

α) nunc hypogastrium obsidentes, nunc hypochondria, nunc ilia, nunc vero inguina:

β) modo graviores, modo leviores:

γ) modo increscentes, modo consistentes, modo remittentes:

δ) modo intermittentes, modo continui.

b) nullus ventris dolor praecedit, contra vero ille durus atque distentus exsistit.

c) neque dolor neque ventris durities atque distensio, sed ponderis in imo ventre sensatio absque ventris tumore sensibili, eaque nunc cum sola pedum gravitate, aut cum pedum et crurum femorumve tumore conjuncta.

d) nullum horum, contra vero in parte aliqua imi ventris tumor paullatim exsurgit

α) jam unus, jam plures.

β) nunc durus, ad tactum dolens, neque ullum fluctuationis vestigium fistens; nunc vero mollis, ad tactum non dolens, atque fluctuans. Praecedit

e) alvus diu multumque obstipata:

f) mensium suppressio:

g) refrigeratio ex gelido potu vel frigido aëre, cum multum corpus sudavit atque incaluit.

§. 8.

Tum vero, cum tumor unus alterve praecesserit, sensim pedetentimque increscens ille per omnem ventrem tarde diffunditur; cum vero talis non praecesserit, in ima ventris parte tumor conspicitur, lento admodum gradu ascendens, seseque per omne abdomen diffundens, inque tantam saepe molem increscens, ut umbilicus, infigniter prominens, volvatur ad inguina; reliquusque aqualiculus ad genua usque dependet. Raro certe, neque multum, attactus venter fluctuat. Vix porro istiusdem mutatur figura, cum in alterum latus se aeger vertit. Ex perfosso abdomine ne guttula quidem fluidi interdum effluit, interdum vero ejicitur, modo omnis omnino foetoris expers, modo plus minus olens, nunc tenuius, nunc crassius, nunc clarum, aut turbidum, vel sanguineum, vel serosum, modo fusci coloris, modo pallidi. Neque in uno aegrotante unus idemque semper humor est; sed prima pun-

punctione emissus interdum aqueus est, secunda feculentus, tertia purulentus; interdum vero prima fuscus, omnis foetoris expers, et viscidus: altera tenuior ac albicantior, ultimis demum prorsus lacteus, spissus atque foetidus.

§. 9.

Quod junctas mutationes concernit, nisi copulatum cum eodem vitium aliud est, puta inflammatio, febris, abscessus, steatoma, viscus corruptum, ceteraque ejusmodi, bene adpetit aeger cibos; siti non excruciatur; nihil incommodi sumto victu sentit; dejectio alvina recte se habet, nisi quod interdum segnior sit; menses fere naturales; somnum bene capessit; bene respirat, nisi multum distentus venter sit, nullo dolore adfligitur; vires consistunt; faciei color naturalis et floridus est, corpusque, nisi diu duravit malum, nihil aut parum extenuatur; et, ut brevibus omnia complectar, si a tumore multum adulto, utpote ingressum, insessum, atque decubitum impediente, recesseris, parum omnino aegrotans gravatur. Quodsi vero junctus adfectus alius sit, variis miseriis atque aerumnis aegrotantes adflicti tenentur. Ita enim imi ventris doloribus intensis saepe excruciantur, multum cum hydrope ingravescentibus: sic ciborum fastidio atque vomitionibus per intervalla infestantur: sic pectus dolet, et difficilis, anxia suffocansque respiratio est: sic maxime adstricta torminibus alvus; dejectus somnus; prostratae vires etc.

§. 10.

Tandem aegrotans extenuatur, virium jacturam patitur, genubus insistere, vel manibus pedibusque repere cogitur, non enim stare prae abdominis pondere potest, non lecto decumbere, nec demum sedere. Atroci ventris dolore corripitur, febre, nausea, pervigilioque demum consumtus mortem cum vita mutat. Abdomine secto

a) quandoque sanguis nigerrimus magna quantitate erumpit, tumque junctus hydrops internus est; quandoque fluidum serosum prosilit, idque fusci coloris, aut punicei, aut subflavi est, modo tenue, modo crassum, nunc foetens, nunc vero minus.

b) effusa aqua, musculi abdominales aut consumti, aut vix conspicui, aut in corpus vesiculorum conversi, aut natura multo crassiores inveniuntur.

c) aquae conceptaculo omni detecto, neque intestina in conspectum veniunt, neque viscus ullum, sed peritonaeum, justo densius ac depressum.

d) membrana hac incisa, viscera demum conspiciuntur, integra nonnunquam, nonnunquam corrupta, interdum abscessus, steatoma, vel scirrhus in conspectum venit; quandoque etiam aqua circumfusa viscera reperiuntur.

§. 11.

Haec de diagnosi hydropis externi dicta sunto. Quod ad progosin, et

a) re-

a) respectu durationis; diu is et multum trahit, quid? quod ad quadraginta annos interdum, et quod excedit, excurrit.

b) respectu curationis; inanis in eodem omnis medicina est; interdum vero natura auxilium adfert, cum abdominis inflammatio, suppuratioque oritur, quo fit, ut aqua sensim ejiciatur, valetudoque bona redeat. Interdum abdomen rumpitur, collecta aqua sensim effunditur, et, ruptura consolidata, instauratur sanitas. Observatum etiam est, a valido in ventrem lapsu multum urinae cum sanitatis instauratione redditum esse.

c) respectu vitae et mortis; aegrotans quidem satis integra valetudine per longum tempus frui consuevit, atque, si molestiam excipias, ex ventris mole oriundam et ponderе, nihil fere molesti ex isto hydrope percipit; tamen certa mors ipsum excipit, nisi forte fortuna curetur.

§. 12.

Transeo ad hydropem internum, nominatimque cavi abdominis, quem *Ascitem* vulgo appellant. Praecedit hunc quandoque

a) tumor pedum, isque malleolorum et talorum regionem primum obsidens, mollis, aequalis, pallidus, nocturno tempore inque situ horizontali evanescens, diurno autem et perpendiculari situ rediens, sensim increscens, digiti impressi vestigium servans, ac si oleo inunctus, demum splendens, nec minus con-

ſtanter in quocunque ſitu permanens, ſenſim pedetentimque ad crura, femora atque pudenda aſcendens, cum abdominis tenſione, reſpirationis difficultate, ac excretionis urinae diminutione.

b) a ſcroto incipit, ita ut hydrocele praecedat, alias in hydrope conſummato accedens.

c) a tympanite.

d) ab hydrope pectoris.

e) a dolore tenſivo, nunc in dextro hypochondrio percipiendo, nunc in ſiniſtro, cui inſignis quandoque pruritus accedit, in pedibus inprimis et plantis vexans, eosque acri ac rodente humore quandoque irrorans.

f) a maximo cruciatu, percipiendo in femore, eoque tanto, ut alta voce clamare correpti cogantur. Ulcera inde et abſceſſus naſcuntur, difficulter ob adfluens ſerum acre rodensque ſanandi.

g) a tumore oegematoſo totius corporis, ſenſim fere iterum cum ventris intumeſcentia diſparente.

h) praecedunt porro ex cauſis nonnaturalibus vini aduſti copioſa potio, frigida potio poſt aeſtum, cereviſiae copioſa potio, nimius uſus alimentorum, quae potentia calida dicuntur: ex cauſis naturalibus habitus corporis tumidus: ex praeternaturalibus menſium vel haemorrhoidum ſuppreſſio, icterus, viſcerum ſcirrhus, ſanguis crebro vomitu vel diarrhoea ejectus, febres, cum intermittentes, tum continuae.

§. 13.

§. 13.

Tum vero in tumorem attollitur abdomen, qui circa inguina incipit, et temporis diuturnitate ad scrobiculum cordis usque protenditur. Nunc vero consistit tumor, aut altius serpit, et thoracem, faciem, et manus obsidet. Quemadmodum vero superiora in tumorem quandoque attolluntur, ita inferiora interdum, crus puta et femur, multum intumescunt, nisi ab hydropis jam intumuerint principio. Nec minus genitalia utriusque sexus interdum tumore deturpantur. In maribus scrotum multum quandoque tumet, quid? quod ad capitis magnitudinem accrescit. Penis item inflatur, quo facto praeputium retrahitur, balanusque denudatur. Jam vero is a retracto praeputio in totum retorquetur. Re sic se habente, cum summa difficultate urinam aegrotantes emittunt. Nonnunquam exomphalus et hydrocele accedit. In foeminis multum quandoque et labia tument et nymphae, eaeque nonnunquam in stupendum sane tumorem, lympha multa refertum, degenerant; uterus praeterea quandoque foeminis prolabitur. Neque praeterire licet, quod in imo ventre fluctuantem aquam aegrotantes percipiant, cum corpus in alterutrum latus movent, quodque fluctuans aqua alterius manu distincte percipiatur, cum ex obverso latere leniter venter ea percutitur. Ceterum tenendum, quod venter mollis ac laxus quandoque fit, atque digito pressus fossulam quandam reddat, nonnunquam autem durus et renitens existat, neque impressi digiti vestigium admittat.

§. 14.

§. 14.

Inter haec exarescunt superiora, eoque magis, quo magis intumuerunt inferiora et venter, nisi aut junctus anasarca sit, aut pectoris hydrops praecesserit. Pulsus parvus, intermittens, atque aut mollis et tardus, aut subdurus et celer est. Calent aegroti quandoque, quandoque frigent, quandoque neque calor molestus, neque frigus est. Ructibus flatibusque vexantur. Alvus plerumque adstricta, rarius laxa est. Saepe feces albidae sunt. Urinae quantitas, initio potulentorum assumtorum quantitati fere respondet, ac parum a naturali qualitate aberrat, posteris vero temporibus pauca ejicitur, cruda, aquea, crassa cum sedimento lateritio, rubra cum sedimento rubro, nec minus crocea quandoque. Pauci bene adpetunt cibos atque comedunt, multis contra ab initio per omnem hydropis decursum dejectus appetitus est, quin a cibis abhorrent. Multum fere et semper sitiunt. Lassi sunt, et gravitatem omnium artuum, maxime vero inferiorum percipiunt. Multum praeterea vigilant, praecipue si molesta febris, aut in aetatis flore constitutus aeger; senes contra saepius somno oppressi tenentur. Faciei color in multis foedatus, ex virore albicans, vel ad citrinum plumbeumque declinans: in paucis vividus persistit, in paucissimis ad morbi terminum usque talis permanet.

§. 15.

In cadaverum sectione haec fere in conspectum prodeunt:

I. col-

I. collecta in cavo abdominis aqua reperitur, sapida aut insipida, foetens et interdum cadaverosum odorem spirans, vel inodora, spissior aut tenuior, quae igni admota vel in gelatinam concrescit, vel non concrescit. Varius porro ejus color est, nonnunquam crystallinus ac pellucidus instar aquae, nonnunquam citrinus, flavus, luteus, virides-cens, loturae carnis similis, cruentus, aut plane niger.

II. Viscera modo hydatidibus obsessa sunt, modo vero minus, nominatim vero

1) hepar nunc omni ex parte integrum est, nunc vitiatum, tumidum, scirrhosum, fungosum, exulceratum, absces sibus obsessum, aridum, pallidum, fere exsangue, atrum, infinitis coloribus variegatum, corruptum, quin quandoque, auctore PLATERO observationum Mantissa obs. XXII, variis in locis alte fissum.

2) lien nunc omnis labis expers, nunc vero tumens, durus, exesus, suppuratus, fissus, corruptus.

3) renes jam naturaliter constituti, jam parvi, pallidi, pinguedine nulla obducti, erosi, ex ulcere perforati, scirrhosi.

4) mesenterium integrum, vel scirrhosum, aridum, exesum. Neque ullum quandoque in cadavere animadversum vitium est, praeter mesenterium vitiose constitutum.

5) Uterus sanus, vel morbosus, nominatimque scirrhosus aut exulceratus.

6) Ova-

6) Ovarium cum secundum naturam constitutum, tum praeter naturam.

7) Omentum modo integrum, modo corruptum atque consumtum.

8) vasa lymphatica tantum rupta observata fuisse, salvis plerisque visceribus, DIEMERBROECK L. I. C. XII. refert.

§. 16.

Haec de diagnosi Ascitis abdominalis dixisse sufficiant. Quod vero prognosin istius, et vitae quidem ac mortis respectu, concernit, scire licet, morte semper terminari, nisi tolli is possit. Non autem unus idemque modus est, quo in mortem terminari consuevit. Alii enim ultima patiuntur ob corpus consumtum atque confectum, viresque inde dejectas: alii suffocati moriuntur: alii ex febris accessu exspirant: alii ob diarrhoeam, ad hydropem consummatum accedentem, animam efflant: alii ob copiosissimam urinae excretionem, fractis jam viribus advenientem, vitam finiunt: alii propter epilepsiae accessum exanimantur: fuit tamen hydropicus, BALLONIO L. I. *Epidem.* narrante, qui ab epilepsia hydropi nostro juncta, et hydrope ipso, fuit liberatus, cum testes et femur abscessu obsiderentur: alios apoplexia jugulat: alii, ob largam narium haemorrhagiam confecto hydropi accedentem, mortem cum vita mutant: alii ob sphacelum pedis e vita discedunt.

§. 17.

Quod prognosin curationis respectu attinet; quandoque nullam medelam ille admittit, cum sci-

scilicet a scirrho ortum duxit, vel hydatidibus, aut vasorum lymphaticorum rupturae debetur; quandoque vero medelam admittit, et tardam quidem atque difficilem, cum diu duravit; satis vero citam atque facilem, cum non diu duravit, maxime si juvenis aeger est. Sunt vero salutis notae, cum urina sensim largius stillat, cum alvus laxa est, cum sitis et venter decrescit, cum adpetitus et somnus redit, cum vires increscunt, cum superiorum partium tumor detumescit, cum femorum tumor ad genua usque subsidet, cum faciei color evadit vegetior. Convalescendi vero spes laetior adfulget, oedemate ad taleolos usque subsidente. Saepe hydropem nostrum natura solvit vomitu, diarrhoea pituitosa mictione larga, larga aquae ex umbilico rupto profusione, excretione aquae ex vesicula in umbilico nata, excretione aquae ex rupto pedis tumore, vel vulnere, casu in scroto vel crure accepto, mariscorum apertione, narium demum haemorrhagia largiori saepiusque iterata: quae solutio omnium rarissima a SCHULZIO animadversa fuit *).

§. 18.

Jam, quomodo memorati hydropes a tympania discrepent, investigare annitar. In tympania pondere non gravatur aegrotans: non tument extrema: aeque tumens renitensque abdomen est, sive in lecto aegrotans decumbat, sive sedeat, pedibusve insistat: fluctuationem neque aeger percipit, neque ab adsidente percipitur: percussum abdomen tympani adinstar sonat, cum extra intestina collectus aër tenetur; nam in ea tym-

*) M. N. C. Dec. 2. ann. 3. obs. 170.

tympaniae ſpecie, qua intra inteſtina praeter naturam collectus aër tympaniam facit, percuſſum abdomen neque ſonat, neque ſonare poteſt. Exadverſo in aſcite inſigne quandoque pondus aeger perſentit: tument pedes et manus quandoque: erecto ima ventris pars in majorem tumorem attollitur, prono autem et in latus converſo, tumorem in latus attolli videmus: prono minus renitens abdomen ſeu mollius eſt, erecto autem magis renitens abdomen ſeu durius eſt: fluctuantem aquam una cum aegrotante percipimus: percuſſum abdomen tympani adinſtar ſonat nequaquam.

§. 19.

Sequitur, ut doceam, quibus notis cavi abdominis hydrops ab hydrope peritonaei diſcernatur. Hydrops peritonaei ab uno ſaepe alterove tumore initium capit, cavo abdominis vero contentus nequaquam. Dein is initio non aequaliter in tumorem abdomen attollit, in hoc vero ab initio confeſtim aequaliter abdomen intumeſcit. Porro is lente admodum increſcit, hic vero cito oritur et adaugetur. Tum ille omnem omnino ex medicamento medelam, quamquam recens ſit, ſemper ſpernit, hic vero non item. Praeterea in hydrope peritonaei, non niſi poſt longum tempus, aeger extenuatur, morbus diu ac multum trahit, niſi junctus adfectus alius ſit; de nulla fere re aegrotans conqueritur, moleſtiam ex ventris mole et pondere ſi excipias; punctum abdomen aut nihil aquae reddit, aut paucam atque viſcoſam, et quae ſunt reliqua: in cavi abdominis autem hydrope cito corpus extenuatur, raro hic diu trahit, nunquam ſine magnis moleſtiis

ſtiis eſt, punctum abdomen multum aquae fundit, et quae ſunt reliqua. Ex his igitur, ſeorſim aut conjunctim ſumtis, facile intelligi poſſe arbitror, utrum iſto hydrope, an vero hoc, aegrotans laboret.

§. 20.

Ad *Uteri hydropem* progredior. Is vel per ſe conſiſtit, vel cum graviditate copulatur. Si prius eſt; comitantes eundem mutationes, quae mutationibus in gravidis initio plane reſpondent, niſi quod non ventris modo dolores, eique inſignes, ſaepeque iterantes, ac dextrum latus maxime occupantes, urgent, verum et inſignis quaedam ac inſolita laſſitudo perſentitur; cui accedit, quod foedus isque conſtans faciei color eſt. Quodſi vero cum graviditate copulatur; initio eadem plane phaenomena ſunt. Sunt enim ſigna graviditatis. Maximi ac frequentes ventris urgent dolores. Praeter modum atque conſuetudinem debilitata foemina eſt enervataque. Foedus isque conſtans faciei color plerumque detegitur. Ex quo evenit, ut et Medici, et artis obſtetriciae periti, in ſecernendo noſtro a graviditate hydrope, ſaepiſſime et fallant, et fallere debeant.

§. 21.

Elapſo primordio, hydrops noſter ſimplex, hoc eſt cum graviditate non maritatus, dignoſci facile poteſt. Etenim non craſſeſcit uteri cervix, neque curtatur atque mollitur. Nullus debito tempore foetus motus percipitur. Prementi manui durum corpus non objicitur. Flacceſcunt mammae. Nullum lacteſcens fluidum papillae

eructant. Graviditatis, nisi solvatur, terminum superat. Subinde aqua, tanquam in utre fluctuat. Quodsi vero hydrops copulatus cum graviditate sit; sub memoratis ante mutationibus uteri cervix crassescit, curtatur atque mollitur. Foetus motus tempore statuto sentitur, eoque percepto, frigus molestum ac dolorosum una percipitur. Prementi manui, nisi nimium aqua increverit, durum corpus objicitur. Non flaccescunt mammae. Humorem lacteum papillae effundunt. Inter haec venter in tumorem attollitur, eumque tantum, ut, foeminam duos saltim foetus, aut tres, esse enixuram, inscius quisque arbitraretur. Tandem crura pedesque hydropicorum more intumescunt, quin etiam ventris interdum, crurum porro, et renum laterisque dextri dolor ita intenditur, ut noctes diesque ejulare et lamentari, atque lecto adfixa haerere foemina cogatur, donec demum sub validissimis ad partum doloribus maximo ac uno impetu ex detersо uteri ore hydropica aqua profundatur.

§. 22.

Quod exitum hydropis nostri concernit; scire licet, hunc demum morte finiri, cum collecta utero aqua nequaquam effunditur, nam mirum in modum increscit, atque tantopere, ut libras centum et octoginta interdum pendat, sicut VESALIUS *anat.* Lib. V. cap. 9. p. 627. 628. de foemina, uteri hydrope exstincta, refert. Cum vero aqua effunditur, mortiferus ille non est. Ceterum tenendum,

a) aquae ex utero ejectionem nequaquam evenire, nisi partus dolores praecesserint.

b) Aquam

b) Aquam ex utero nonnunquam periodice et ante menses profundi, quale exemplum habet FERNELIUS *Pathol.* L. VI. cap. 15.

c) Hydropem nostrum interdum hydatidibus constitui, cujus insigne exemplum MAURICEAU *dans ses observations sur la grossesse et l'accouchement des femmes, obs.* 377. habet; memorat enim foeminam, ut credebatur, septem mensibus gravidam, hydatidum innumerabilem copiam sub doloribus, partus doloribus simillimis, ejeciſſe.

§. 23.

Quod *Ovarii* et *Tubarum* concernit *hydropem*; completam componere diagnosin, licitum non est, cum litteris mandatae de iis observationes ex maxime incompletarum numero sunt. Interim ex collectis observationibus constat:

a) de doloribus ventris, hypochondrii dextri maxime, aegrotam conqueri, antequam quidquam de abdominis tumore persentit.

b) Dextrum latus aut solum, aut praecipue saltim, sub exquisito saepe dolore in tumorem attolli.

c) Perceptionem, a foetus motu oriundae persimilem, ab aegrota nonnunquam haberi.

Sectione facta,

a) Succum materia purulenta repletum, eumque aut ovario, aut tubae adhaerescentem, inveniri.

 b) Aut

b) Aut tubam aqua ad multas libras adscendente distentam esse, aut partem ovarii, eamque crassa membrana cinctam, aqua multa occupari.

§. 24.

Absolutis iis, qui ventre continentur, hydropibus, ad *pectoris hydropem* veniam. Quod igitur hunc concernit, scire licet,

a) dolorem aliquem in pectore versari et in praecordiis, interdum etiam in scapulis, eumque modo reverti per intervalla, modo continuo vexare cum remissione aliqua.

b) Perire vividum floridumque faciei colorem, corporisque habitum de naturali declinare et ad eum, quem cachecticum vocant, accedere.

c) Aegrotantem, cum valide corpus exercet, maxime vero, cum acclivia loca velociter petit, vel ira exarsit,

α) difficulter respirare:

β) de angustia pectoris conqueri:

γ) cordis palpitationem insignem percipere:

δ) circa praecordia quaedam sentire, non quidem dolorosa, nec anxia, at vero molesta, eaque verbis vix ac ne vix quidem exprimenda.

d) Aegrotantem in somno respiratione praefocante interdum corripi, quae hunc supinum esse non finit, sed e cubili consurgere et rectis cervicibus spiritum ducere cogit.

e) Sub

e) Sub concussione pectoris, manu utrinque applicata, strepitum aquae intus subinde exaudiri.

§. 25.

Jam ordinis exigeret ratio, ut in delineandis reliquis occuparer mutationibus; delineavit vero eas *Illustr. Praeses* abunde ac pro more suo, h. e. satis erudite, in dissertatione *de Hydrope pectoris*, quae Goettingae 1763. prodiit; qua de re ad *pericardii hydropem* progredior. Si quis vero hydrops cognitu difficilis; sane is est, qui hydropis pericardii nomine insignitur. Sequentes vero mutationes observanti mihi innotuerunt. Cum lecto decumbens aegrotans subito corpus erigeret; confestim cor palpitabat: quo facto quandoque cordis mutua actio cessabat, ita, ut pulsus in una, alterna, tertiave pulsatione intermitteret. Atque tum spiritus simul paulo difficilius ducebatur, et in pectore angustiae sensatio cum alia quapiam, verbo haud experimenda, erat. Accedebat ad haec, quod cordis dilatatio subinde cum vehementia aliqua contingeret. Sectione aegrotantis phthisi defuncti pericardium multa aqua distentum, corque hydatidibus obsessum vidi et flaccidum.

§. 26.

Aethiopem lavarem, noctuasque Athenas portarem, si de *Hydrocephalo* aliquid adderem, cum nuper ex hoc loco perfectam hujus omnibusque numeris absolutam semioticam Vir clar. GAUDELIUS in dissertatione *de hydrocephalo* dederit. Ne igitur actum agere videar, reliquum plagularum spatium *hydropi partium adnexarum* dicabo. Ejusmodi vero est

a) *Medullae spinalis hydrops;* qui in recens natis interdum spinam, nunc in vertebris colli, nunc in vertebris dorsi, nunc vero in vertebris lumborum, aut solis, aut in osse sacro simul, obsidet tumore molli atque fluctuante. Brevi tum de vita infantis actum est, praeprimis, si scalpello incidatur tumor. Dissecto autem tumore, prodit aqua plerumque limpidissima instar crystalli, desunt vertebrarum apophyses et divisa juxta longitudinem subjecta vertebra est.

b) *Hydrocele;* tumor mollis et undulans, nunc unum testiculum obsidet, nunc utrumque, contracto humore in cellulas tunicae vaginalis, quae testem comprehendit. Nihil periculi quidem is hydrops alit; raro tamen medicamentis cedit, et, nisi instrumentum collectae aquae effluxum paret, ad vitae usque finem consistit.

c) *Hydromphalus;* tumor mollis et fluctuans umbilicum obsidens. Plerumque est cum hydrope abdominis et omphalocele; non vero facile per se oritur: qua propter etiam, his malis finitis, ipse quoque evanescit.

d) *Hernia gutturis aquosa;* tumor mollis et fluctuans guttur occupat. Nihil periculi alit, et simplici tumoris incisione curatur.

e) *Hydrophthalmia;* in qua oculus multa aqua distentus eminensque adeo, ut palpebris operiri non possit, in conspectum venit. Interdum rumpitur cornea, et humor effluit, quem quidem effluxum presso pede insequitur

tur coecitas. Raro vel nunquam curatur, ſique humor perforato oculo emittitur, brevi is rurſus colligitur et tumor revertitur.

X.

Dr. OTTON. HENRIC. KNORRE

Diſſ.

De prognoſi in hydrope.

Gottingae, 1781.

Praefatio.

Singulorum morborum hiſtorias, quae prognoſin ſpectant, curioſius excultas deſiderari in arte noſtra, doluit jam ſuo tempore ſtrenuus *Hippocratis* ſectator *Baglivius*. Sed et noſtris temporibus plures de his in votis tantum habentur, et habebuntur usque eo certiſſime, donec *ill. Grunerus* diu jam optatam exſpectatamque ſemiotices ſpecialem partem publici juris fecerit. Alia hodie excogitantur multa ſubtilia, ventilantur inventa hodie nova, maximi momenti viſa, poſt annum tenuia, vilia ſalutanda, et maxime neceſſaria pars medicinae inexculta poſteris relinquitur. Sunt quidem, qui opponunt, arduam rem eſſe, et ſine propria experientia et aſſidua obſervatione nil praeſtari poſſe; verum non

ita haec concedo. Nil in hac parte medicinae nosmet ipsi invenimus novi; ex monumentis veterum, eorumque, qui ante nos intento animo observarunt, eruenda prius et discenda et colligenda sunt omnia. Quibus vero denique, si fieri potest, ut experientia propria suum addat, perfectior quidem conscribitur historia, novi tamen vix quicquam certissime adjicietur. His persuasus et convictus, sum ipse ausus tentare, quid in hac re valeant humeri, quid ferre recusent. Elegi itaque pertractandam prognosis historiam in hydrope, et praecipue quidem in Ascite et Anasarca; caeteras species non attigi ex proposito, nisi passim phaenomenon ivit obviam, quod et in his et in illis quandoque apparere solet. Quae *Lommius*, quae *Kleinius* protulerunt, exhibui; veteres principesque observatorum consului, et, prout proposito meo convenire visum est, excerpsi, excerptaque adjeci. Ampla et verbosa citata neglexi brevitatis causa. Omnem rem, ut melius recognosci possit, in duas diduxi partes; priorem, quae prognosin generalem seu praecursoriam, alteram, quae specialem contineat. De caeteris, ubi singuli paragraphi passim nimis contracti videantur, aut plura desiderentur, indulgentes ignoscant lectores.

Sectio I.

Quae in genere praedictioni in hydrope inservire possunt.

§. 1.

Introductio.

Ut in genere jam de secundo adversove exitu in hydrope praedicere quid possit medicus, statim ac ad aegrotum est accersus, ante omnia scire eum convenit, quinam fuerit hydropis ortus, subitus an lentus; quaenam subsit causa, bujusque quaenam conditio vel ratio; quaenam sit species hydropis; recens, an jam diurnus morbus; solitarius, an in societate alius procedat; comes sit species alia generis ejusdem, an morbus generis alius diversi; hydrops nunc illi supervenerit, an ille hydropi. Neque plane negligenda sunt, quae corpus, sexum, aetatem, coelum, annique tempus spectant, ex quibus jam veteres augurari quid ausi sunt. Et haec fere sunt, quae hac in sectione continentur.

§. 2.

Causa.

Subito ortum hydropem jam Hippocrates periculosiorem illo, qui sensim sensimque oritur, aestimavit. Putes, in hoc vasa rel rupta, ut Hippocrati visum, vel ex gravissima debilitate dilatata, ut quidam noviſſime volunt, veluti sidera-ta subesse, licet; res manet eadem, nec, qui assentiant, tibi deerunt. Verum non omnimode effatum illud nos terreat: errores externi, re-

frigeratio exaestuationem protinus excipiens, retrogressi sudores sueti, vel totius vel partis cujusdam corporis, subiti saepissime sunt causae hydropis, non adeo quidem periculosi. Contra etiam lente, sensim sensimque saepe saepius procedit ille ex causa menstruorum, haemorrhoidum, scirrhorum, et id genus alia, nec tamen eodem ipso lentore, ut et alii ex fonte eodem oriundi morbi, sententia Hippocratis, periculo summo et gravitate vacant; hydropes saccati, et quem peritonei dicunt, sensim incipiunt, lente augentur; sed periculo omnino sunt dispares. Malum autem semper augurium, ex observatione auctorum, est in hydrope a viscerum scirrhis, corruptione; a ruptis vasculis, polypis, vitiis pulmonum, ut peripneumonia, ulcere etc.; ictero, tumore venas in abdomine comprimente non removendo, hydatidibus, malo corporis habitu, maxime si alius morbus hunc induxerit, a podagra, dysenteria, colica pertinaci; et hi sunt, de quibus illud *Hippocratis* valet: periculosior est, qui per se aggreditur, quam qui febrim insequitur. Minus periculosiorem esse hydropem ex duritie lienis, quam hepatis, putavere olim *Cael. Aurelianus et Rivierius*, tumores hydropicos ex uteri vitio facilius abigi, quam illos ex hepatis vitiis, *Hoffmanni*. Minus infert periculum, qui ex novissimis tantum, aut levibus et non adeo pertinacibus obstructionibus, glandularum mesenterii infarctibus oritur: plurimum, qui ab illis jam induratis, aut scirrho confirmato. Malus, et forsan insanabilis est, ex cutis eruptionibus diuturnis, quae saepius omnem artem eludunt, et ex interna viscerum labe proficiscuntur; exem-

plum

plum propoſuit *Hipp.* de morb. vulg. lib. V. Facilior eſt curatu, qui ab exanthematibus non debite expulſis. Nec omnino reſpuit medelam, debitam ſcilicet et tempeſtivam, qui a vermibus; a graviditate, qui abit ſaepe edito partu; et profluvio ſanguinis; niſi febris ſuccedat, nec ſcirrhi ſunt cauſa illius. Difficilius tamen curari putat *Foreſtus* illum, qui ab nimium fluentibus haemorrhoidibus aut menſtruis incidit, quam qui ab iisdem retentis; huncque iterum aegrius, ac illum, a levi obſtructione, aut victus ratione, ut ex cibi aut potus multitudine. Non admodum formidabilis eſt, qui nullo antecedente morbo coepit, deinde qui longo, niſi vires perquam ſint demiſſae, ſi reſpiratio libera, nullusque aegrum dolor urget; et ſaepiſſime ſanatur, qui a febribus, nulla praegreſſa haemorrhagia, incidit. Indole et gravitate morbi praegreſſi etiam aeſtimanda videtur facilis, difficilisve ſanatio hydropis: ſic febres malae indolis autumnales apud *Hipp.* de morb. vulg. L. 11. lethiferam omnino habuere ſequelam, hydropem; inde, qui gravioribus morbis praegreſſis incidit, periculoſior dicitur aliis; indeque elucet illud triſte Hippocratis effatum de hydrope ex acutis, de quo et omnes conſentiunt. Peſſimum et fere inſanabilem hydropem obſervavit ill. *Baldinger*, poſt febrem caſtrenſem, diarrhoeas putridas et dyſenterias. vid. ej. Krankheiten einer Armee edit. 1774. pag. 295. Nec minus vacat periculo, qui ex quartanis, ſi viſcera nimis obſtructa, indurata, ſcirrhoſa ſuum conferunt: ſin minus, et quartana recens fuerit, ſanatur et hydrops: recte inde colligit *Foreſtus*, quartanarum vel tertianarum hydropem conſecta-

rium

rium facilem esse curatu. Malum denique fere ubique erit augurium, si hydrops ex alio partiali v. c. omenti, hepatis, ovarii etc. generatur, non incongrue itaque praedicere est ausus *Hippocrates*, quibus hepar aqua repletum ad omentum eruperit, his aqua ventrem impleri et mortem esse certam.

§. 3.

Species, diuturnitas.

Cum ita quidem ex causa gravitas morbi optime conjiciatur, quasdam quoque secundi vel mali exitus notas habere possumus specie et duratione morbi desumtas; quae si majoris quidem momenti non judicentur, tamen placet eas proponere. Quanto itaque nobiliorem partem occupat hydrops, tanto periculosiorem, tanto aegrius sanabilem esse, ne quisquam quidem inficiabitur. Omnes partiales, quos aqua inter cutem constituit, sanabiliores anasarca universali esse, leucophlegmatiam mitiorem, difficiliorem anasarcam, maximi momenti vesicalem, ascitem certe periculosissimum, contendit *Aretaeus;* et alio loco anasarcam, vesicalem, tympanitide ipsa difficiliorem curatu pronunciat. Quod ita quidem praecipio, ut tamen fatear, una ad causas esse respiciendum; indeque enim explicandum est illud *Caelii Aureliani*: leucophlegmatiam difficiliorem esse curatu, quam ascitem; illudque *Boneti:* anasarcam utplurimum difficiliorem esse ascite, praesertim si et tunica cellulosa in interioribus pariter aqua turget; quod si non eveniat, facilius curam admittere videtur, quam reliquae hydropis species; de quo videas *Swietenium.*

tenium. Anasarcam periodicam mitiorem stataria esse, habet *Kleinius.* Cui et respondet *Hippocratis* effatum: tutius, inquit, laborant hi, quibus magni modo fiunt tumores, modo rursus occultantur, dein rursus assurgunt, prae deploratis; sed tamen fere fiducia secundae valitudinis opprimuntur. Quondam et acriter et strenue disputatum est, quinam hydrops periculosior sit, utrum a causa frigida an calida, ut ex *Foresto* discendum est; quod si notionibus, quas Physiologia hodierna purior et maxime sanior exhibet, exsolvatur, lis in utramque partem non sine gloria componi videtur; indeque verum erit, quo magis depauperatur calor, eo minorem esse spem, aeque ac calidum difficiliorem curatu esse quam frigidum. Prae caeteris hydropem, cui indoles inflammatoria juncta, esse timendum, cum facillime et saepe saepius exitiosis inflammationibus ansam praebeat, experientia tot tantorumque auctorum comprobari posse videtur. Hydrops peritonei plus doloris habet, non vero ita malus corporis habitus est ac in ascite, *Hoffmann.* Aqua inter musculos abdominis est morbus cognitu difficilis, sed curatu facilior, *Baglivius.* Quod attinet ad prognosin ex hydropis duratione, inter initia quidem non semper sanatio difficillima judicatur: verum si in tempus trahit, non sine magna molestia discutitur; neque id quidem de qualicunque valet, sed de illo tantum, qui post alium morbum non gravissima debilitate, aut levi tantum obstructione natus est. Recte itaque *Aretaeus* omnes inveteratos hydropes, qui habitum corrumpunt, periculosos, plerumque insanabiles judicavit; distincte et *Forestus* dixit, dur-

urnos diuturnitate mali jecinore aut liene corrupto ac vitiato, minime curari. Diuturnitati aequiparanda videtur mali fugati recrudescentia; quae si incidit, causam subesse pertinaciſſimam, contendere licet; malumque semper augurium exhibet, idque peſſimum, quo citius morbus revertit; inde jam *Hippocrates* colligit, spem auferri, ubi aqua inter cutem, quae curationi cessit, recurrat. Eadem etiam prognosis manet, ubi aquam sponte, vel arte evacuatam, protinus aqua succedit; eoque pejor, quo citius et ocyus iterum accumulatur. Quamlibet itaque in hoc morbo repetitam abdominis punctionem spei aliquid semper detrahere, eoque plus, quo saepius neceſſaria iterata est, non incongrue contendi, credo; obſervationibus conſtare videtur, tanto ocyus et citius poſt quamque evacuationem abdomen iterum impleri, quanto pluries jam paracenteſis est inſtituta; ex omnibus, obſervationes noviſſimas Cl. *Schmuckeri* videas. (Chirurg. Wahrnehmungen T. II. p. 187 et 202.) Morbus noſter sibi ipsi, et naturae, sine omni medela, relictus, celerius quidem ad mortem plerumque tendit, sed tamen exitus tempus minus certe definiri poteſt; quamquam quidem *Hippocrates* contendit, in incipiente adhuc hydrope, neque a cauſa inſuperabili, judicari triginta diebus, lethalis sit, nec ne. *Bonetus* circiter menses sex ſtatuit; ex quo auctore etiam diſcimus, hydropem confirmatum haberi, qui duos menses duraverit; si vero jam per duos annos traxerit, saccatum hydropem subesse, *Duverney* suſpicatur.

§. 4.

§. 4.

Comitatus hydropis ſ. complicatio.

Neque eadem ſemper eſt prognoſis, ubi vel hydrops aliam ſui generis ſpeciem habet comitem, vel alii ſupervenit morbo, vel ubi curſu hydropis alius incidit novus morbus. Periculum increſcit, prout variae hydropis ſpecies ſemel et ſimul hominem affligunt. Mitis quidem, inquit *Aretaeus*, eſt morbus, ſi minor ſpecies minori pariter conjungatur; pejor, ſi ex minoribus alia alii ex majoribus admiſceatur; quodſi duorum majorum mixtio exacta fuerit, gravius inde malum exoritur. Difficillimus autem tympanitidis cum anaſarca copulatus. Ubi hydropi aſciti juncta procedit illa ſpecies, quam anaſarcam nominant, ſaepius ſubito et derepente moritur aeger; quod effatum *Hippocratico* illi reſpondere videtur, in lib. de morb. mulier.: quodſi mulieri venter et crura ſimul aqua implentur, nulla de ejus vita ſpes ſupereſt. Si hydrops ex pulmonis ulcere natus eſt, vel ſi in thorace etiam aqua eſt collecta, aegrotum dixit idem deſperatum. Eodemque Auctore diſcimus, hydropem, qui alii morbo ſupervenit, fere ſemper lethalem eſſe; praecipue ubi febri inveteratae, maxime ubi acutae. Qui quartanae ſe jungit hydrops, viſceribus adhuc integris, ſanabilis eſt. Quibus lienoſis dyſenteria correptis, aut pulmonum ulcere phthiſi laborantibus hydrops ſupervenit, illi pereunt. Hydrops ſi ab inſania excipitur, bonum *Hipp.* In hydrope, qui ſcorbuto ſupervenit, malum ſemper eſt augurium. Neque quisquam fere, praeſagiente *Duverney*, ſanatur, cui hydrops ictero ſu-

supervenit, maxime ubi ille post ortum hydropis non evanescit, sed una viget. Cum in hydrope vis vitalis fere labet, magnaque jam ex parte est suppressa, cum aquae facillime corrumpuntur, acrimoniam nanciscuntur, fieri certe nequit, quin et alii atque alii morbi exinde oriantur, illique se jungant. Inter hos eminent: epilepsia, peripneumonia, febris hectica, gangraena, phthisis, marasmus, saepe apoplexia et catarrhi suffocativi. Quandoque et epilepsia asciti supervenit, et grave periculum plerumque minatur, interdum eadem in apoplexiam lethalem convertitur. Interdum et alia incidunt, omphalocele v. c., scrophulae mammarum, colli, cancer ipse, et id genus alia. Quo plures, quo graviores morbi superveniunt, eo minor spes salutis. Periculosum ergo, si epilepsia ab hydrope excipitur, si accedit peripneumonia, et eo magis si ex illa exulcerati fiunt pulmones. In hydrope a scirrhis orto funestum certe praesagium erit, ubi glandulae colli, aliarumque partium simul intumescunt, indurantur; maxime, si scirrhosi tumores saniem fundere incipiunt. Hydropem cum febre, in qua est urina pauca et conturbata, perniciem denotare autumat *Hippocrates*; a quo effato non multum differt *Tralliani* illud, in hydrope una cum febre dubiam fieri curationem. Febris accessiones, quae cum horrore in hydrope incidunt, plerumque natales ducunt ab interna quadem suppuratione, aut acrium aquarum resorptione; et inducunt saepe convulsiones, eodemque tempore enormes profusiones, sic ut fere omnes aegroti succumbant. *Duverney*. Saepe hydropici apoplexia et catarrho suffocativo perierunt;

eunt; ascitici tamen fere suffocatione magis, reliqui etiam resolutione mortem appetunt. *Wedelius.*

§. 5.

Corpus, sexus, aetas, coelum, anni tempus.

Praedictioni in hydrope neque parum inservire corpus, sexus, aetas, coelum et anni tempus credita sunt; de quibus praecipue dictu digna colligam. Quaedam quidem, praesertim quae ad corpora pertinent, magis praesagiendum ipsum hydropem spectant, quam prognosin in illo, sed tamen hic omittere nolui, cum in praedicendo aeque consulenda possint videri. Corpus gracile, longasque staturas facilius anasarca corripi, quam quadratum, statuit *Fried. Hoffmannus:* idem de pueris *Aëtius.* Nec plane negligenda videtur dispositio gentilitia, laxitas, debilitas corporis a parentibus connata. *Swieten.* Inde *Hipp.* compertum habet, eum, qui hydropem connatum habet, ab illo non facile vindicari posse. Praedict. Lib. II. Sect. II. Foeminas in genere magis, quam mares, favere hydropi, censet *Hippocrates*, et post hunc ex caeteris *Sydenham;* potissimum ubi parere desierunt, aut in sterilitate vivunt, cujus rationem suppeditat *Monro*, cum scilicet illarum corpora naturalium excretionum suppressioni magis faveant, cumque habitus illarum laxior debiliorque sit, quam virorum. Ad haec respexisse videtur *Coel. Aurelianus*, contendens, foeminas difficilius curari, quam mares. Contra contendit *Cl. Schmucker*, observationibus constare, hydropem, et quidem ascitem, caeteris paribus collatisque, foeminis non aeque letha-

lem esse, quam maribus, cum illas saepius viderit abdominis punctionem decimam quintam, imo vigesimam facile sustinuisse, hos vero raro octavam supervixisse. *Carmichael Smyth* confirmat, foeminas, hoc malo decumbentes, et citius, et facilius sanari, quam mares, praecipue eam, uti illi placuit, ob causam, quia rarius quam mares incidunt in hydropem a jecinore vel pulmonibus corruptis (*vid. Millm* de hydrope p. 149.); id quod maxime respondet *Hoffmanni* sententiae, cui hydropici tumores in foeminis saepius ex uteri quam hepatis et viscerum illi nexorum vitio oriri videntur. Quamquam quidem sententiae illae maxime diversae videantur, tamen non contrariae sunt, si lectori placeat, alii aliam conferre. Seniores magis hydropi esse obnoxios, quam juniores, confirmat *Monro;* hisque, caeteris paribus, majorem spem sanationis supereresse, quam illis, colligit *Krause* in praef. in lib. *Monr.* ex *Foresto*, cui experentia monstravit, pueros aliquos evadere ex hydrope, seniorem vero nullum. Faciliores curatu esse pueros vel pubescentes, difficiles vero aetates medias vel senes, etiam jam contendit *Coel. Aurel.*, sed et concedit facile, in hac re cujusque naturam esse attendendam; siquidem et fere in quovis morbo interest, non quae aetas sit, sed quae vires sint. Aër humidus, frigidus et nebulosus maxime favent hydropi, inde Belgiae incolae magis illi sunt obnoxii, quam alii, qui sicciori aëre fruuntur. *Monro.* Hydropem hyeme magis increscere quam aestate, tempestate pluvia magis, quam serena, monuit *Sydenham.* Et habitacula faciliorem difficilioremve ad sanationem suum conferre videntur. Hydropes uni-

ver-

versales ex plenaria solidorum laxitate et humorum visciditate inter milites castrenses frequentiores observantur quam saccati sic dicti. *Baldinger* l. c. Quod ad anni tempora pertinet, sequentibus praesagit *Coel. Aurelianus*: difficiles sunt curatu aestatis tempore laborantes, siquidem multa siti afficiuntur; alii vero ex contrario inquiunt, faciles illos esse curatu, siquidem exitum liquorum fieri provocat fervor aestatis, et corporis praeterea facit siccitatem. Difficiles vero hyemis tempore, ob corporum densitatem vel frigus; item verno tempore, siquidem humidiora atque liquorum redundantia fiunt corpora. Autumni vero prima, similia aestati, ultima hyemi, dixerunt. Frequentius solent aegri defungi morte, tempore verno, aut autumnali adulto, cum folia induunt arbores, et cum exuunt. *Bonetus*. Et *Kleinius Rolfinckii* observationem, omnes vere hydropicos circa plenilunium pejus se habere solere, eoque tempore fere semper, teste experientia, mori, repetiit.

Sectio II.

Quae praedictioni speciali in hydrope inserviunt.

§. 1.

Speciali praedictioni inserviunt morbi symptomata propria et epigenomena. Percensenda itaque hac sectione occurrunt, quae circa actiones vitales, animales, motum tonicum excedentem, deficientem, quandoque mixtum, circa

ſenſus internos, actiones naturales primarum et ſecundarum viarum, habitum corporis externum, partes corporis in ſpecie, profuſionem aquarum, harumque conditionem, et circa profluvia ſanguinis varia contingunt. Et haec, pro viribus et rerum lectione aſſidua collectarum copia, proſequar.

§. 2.

Pulſus. Reſpiratio.

Sunt omnino, qui ſingulis hydropis ſpeciebus ſuum propriumque pulſum tribuunt. Sic *Galenus* vult eſſe pulſum in aſcite parvum, crebriorem, ſubdurum, mollemque. In hydrope pectoris alii dicunt, pulſus eſſe molles, frequentes ac parvos, ſi fluidum mere aquoſum et lene adhuc eſt; parvos, frequentiores adhuc, vibratosque ac tenſos, ſi humor ille ſalinus eſt et vellicans; exiles et deficientes, ſi tanta copia in pericardio continetur, quanta fere maxima poteſt. In hydrope pectoris alii contendunt pulſum eſſe debilem, obſcurum, tardum, inaequalem et intermittentem etc. Quae vero non perpetua omnino eſſe, fugit neminem. Cum enim, ſi unquam ſignum quoddam in morbis, praeſertim diurnis, minus conſtans eſt, et quam facillime ab alio accedente, brevique tranſeunte mutatur, certe omnium maxime ſit pulſus; fruſtra conamur, perpetuam illius ſpeciem morbo cuidam, praecipue hydropi, tribuere. Alius itaque atque alius in illo, pro corporis rerumque conditione, pulſus eſſe poteſt, utique obſervatur; ſed tamen ubique ex genere, debilitatem, vires ſenſim ſenſimque deliteſcentes, interdum pertina-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0316
DFG

nacem, assiduam irritationem indicante. Observati sunt simplices: mollis, debilis, parvus, obscurus, celer, frequens, tardus, languidus, inaequalis, intermittens, vermicularis, myurus, undosus, tremulus s. vibratus s. convulsivus, caprizans; compositi: celer et frequens, celer et debilis, parvus et debilis, celer et parvus, celer et intermittens, languidus et obscurus, inaequalis et intermittens; decompositi: frequens, debilis et parvus; frequens, debilis et celer; undosus, intermittens et inaequalis; e. r. Ex quibus vasorum laxitatem, corporis debilitatem, languorem cordis, vires vitae labescentes, mortemque appropinquantem indicant; mollis, debilis, languidus, obscurus, vermicularis, inaequalis, intermittens, celer et intermittens, languidus et obscurus; debilitatem, vires delitescentes, vacillantes, praesentem irritationem assiduam, obstructionem vel quodvis impedimentum in vasis majoribus minoribusve, vitaeque periculum summum ocyus seriusve incidens: parvus, celer, frequens, undosus, inaequalis, tremulus s. vibratus, s. convulsivus, caprizans, celer et frequens, celer et parvus, inaequalis et intermittens, debilis frequens et celer, frequens debilis et parvus. Ex singulis praedictionem tentare, necesse quidem foret, sed angusti libelli fines vetant; in memoriam itaque lector indulgentissimus revocet rogo, quae dicta inveniuntur in Semiotices incomparabili libro ill. *Gruneri*. Omne itaque, brevibus ut omnia cum cl. *Krause* complectar, praesagium eo fere redit, spem adhuc manere, ubi pulsus aequalis, placide quodamque vigore sese attollens procedit et ubi simul urina aquosa et magna

copia fluit. Contra, ubi parvus celerque est, una cum pauca, crassa, lixiviosa urina, malum portendit; porro, quo magis a statu illo laudabili deflectit, quo propius accedit summam debilitatem indicanti, quo magis vigor illius delitescit, quo magis magisque languidissimus evadit, eo tristioris ominis est. Sic *Ruysch* habet, in hydrope pectoris pulsum sic delituisse, ut biduo ante mortem plane nullus sit persentitus. Si largas evacuationes aquarum pulsus insequitur debilis, frequens et celer, aut languidus et parvus, perniciem certam, alias saltim respirationem maxime difficilem indicabit; aeque periculosus post illas, et quidem in maxima virium prostratione, est pulsus convulsivus aut vibratus; portendit enim futuras internorum viscerum convulsiones, indeque oriundam syncopen et mortem ipsam. Bene libereque spirare in hydrope, boni semper habetur ab *Hippocrate;* sed raro quidem illud aegroto contigit felici. Languent plerumque, et male funguntur officio respirationis organa, spiritusque fit parvus et densus, auctore Galeno, parvus et frequens, difficilis; quo magis, eo pejus. Non quidem solum in pectore sentiunt hydropici impedimenta respirationis, sed fere maximam partem circa hypochondria, quasi cingulo ibi constringerentur. *Ettmüller.* Dyspnoea urget praecipue, cum aeger decumbit, ut ea de causa erectus manere et sedere cogatur; crescente malo, penitus a decubitu fere omni abstinere cogitur, et dies noctesque non solum erectus sed et capite in anteriora pectoris inclinato, ut liberius respirare queat. Cum vires inde prosternuntur, prognosis inde liquet. Verum non ubique

nos

nos omnino terreat difficultas; quae si enim urget hydropicum juniorem, aetateque vigentem adhuc, aut vere incidit, forsan indicat V. S. instituendam, maxime convenientem, auctore *Hippocrate* et confirmante *Alex. Tralliano* et noviſſime *Monro*. Neque nimis anxie illa timenda videtur, ubi a ſola preſſione aquarum in abdomine naſcitur, nec morbus jam altius proceſſit; quibus enim eductis, facile levatur ſpiratio. Neque pertimeſcenda dyſpnoea, quae aſciticos poſt paſtum quemlibet aut potum jam invadit. Maxime ſuſpecta tamen eſt difficilis reſpiratio, ubi diurno hydropi debilitas, aliaque pejoris notae ſigna, juncta ſunt; mali certe ominis eſt, ubi paracenteſi abdominis inſtituta illa non allevatur; certiſſime enim indicat, ſuadente *Duverney*, aquam in pectoris cavum effuſam. Ex difficili anhelanteque ſpiritu, praeſertim ubi una non exigua aquae pituitoſae copia extuſſitur, autumat *Monro*, pulmones aqua obrui. Cui et reſpondet illud *Tralliani*, cum aeger anguſtiam ſubito, citra moleſtiam febris ſitimque, multam percipit, ſtridorem autem quendam cum tuſſi experitur, interdum etiam humorem educit, liquet, craſſum viſcoſum in pulmone humorem contineri. Saepiſſime dyſpnoea illa pejus graviusque urget anaſarca laborantes, quam aſciticos, idemque et certius quidem periculum indicat, praecipue, ubi pulſus una debilis eſt, monente *Monro*. Quam enim facillime interiorum partium celluloſam telam eodem morbo infeſtari, perquam bene docuit *Swieten*, indeque colligit, pro malo, certe ſuſpecto ſigno ubique haberi dyſpnoeam in hydrope, quia vel ſummam abdominis ple-

nitudinem sequatur, vel justum metum faciat, thoracem et pulmones simili morbo affici. Interdum dyspnoea illa, a musculorum respirationi inservientium distentione ab humore hydropico intus contento, oritur, ut observarunt *Menjotius* apud *Bonetum* et *Morton*. Erectae cervicis spirationes ficco hydropi familiares esse, notat Cous noster; nocturnam dyspnoeam sine tussi, circa mediam inprimis noctem graviter affligentem, utplurimum praecursorem esse hydropis jugulantis *Regae*; signumque pathognomonicum pectoris hydropis esse, statuit *Carolus Piso*. Quae si itaque hydropicis superveniant, prognosis inde facile eruenda videtur. Attamen annotat *Menjotius* l. c. in hydrope semper spiritum aegrius duci noctu, quam interdiu; ea praesertim, ut illi videtur, causa, cum aqua ab nocte ob qualitatum affinitatem magis exagitetur. Sed mali semper ominis est, subito e somno expergisci et pavescere summa cum respirandi difficultate; *Krause* in praef. in *Monr.* lib. de hydrope. *Foresto* si minime deneganda fides auctoritasque videatur, omnis anhelandi difficultas in hydrope perniciem minatur, ubi cita pariter alvus supervenit, qua nec venter obiter resideat, hisque ubi se jungunt, oris, gingivarum totiusque corporis ulcera, propinquam certe mortem decernit. Anhelitum cum animae foetore leucophlegmatiae familiarem esse, discimus ex *Coel. Aureliano*, et, in hydrope semper periculum indicare, ex *Hippocrate*. Deinde etiam pessimi ominis est in hydrope respiratio, quae valde dolet, quae si enim cum inquietate et insomnia incidat, minatur pericardii hydropem. *Monro*. Plerumque postremo respiratio suffocativa et stertorosa scenam claudit.

§. 3.

§. 3.

Tussis. Singultus, Convulsiones, Tendinum assultus. Horror. Rigor. Pavor.

Ex *Hippocratis* sententia convenit semper, tussim in hydrope non adesse, vel indicit saltim, morbum non adeo esse desperatum. Quae si autem incidit, malae prognosi inservit. Variis locis et hoc enunciavit repetitum. Tussis hydropicis superveniens, inquit in Aphorismis, malum est. *Galenus* hoc ita interpretatus est, ut mala inprimis sit, quae, hydrope augmenta capiente, ut causa producatur; minus vero, ubi ex alia occasione v. c. catarrho etc. fiat; id quod et ex alio *Hippocratis* effato in lib. II. Epid. confirmari posse videtur, quo ipse ait, malam esse tussim in hydrope cum crurum tumoribus; utpote qui altius malum jam procedere indicant. Alio loco hydropicum jam desperatum enunciat, ubi tussis eum detineat; quod intelligendum videtur, inquit *Swieten*, de perpetua et ficca tussicula, cum in priori loco forte tantum de leviori et incipiente tussi dixerit. In genere tamen semper mali quid alet, pergit *Swieten*, cum designet, pulmonem impediri ob copiam aquae accumulatae, vel irritari perpetuo a parciori etiam aquae copia, sed acrioris jam redditae. *Oribasius* tussim in hydrope mortis signum pronunciavit; sed neque hoc sine omni distinctione assumendum est; ubi quidem fit ab adaucto morbo, ut *Forestus* bene monet, et ratione aquae, quae asperas pulmonum arterias occupat, malis atque damnis aegrum pessumdat, metuque sinistri exterret judicii; si vero aliunde v. c. ex vaporibus exhalantibus nascitur,

minime ſpem ſalutis adimit. Neque ab initio hydropis apparens feralis eſt, nec, quae progreſſu morbi ob diaphragmatis motum impeditum oritur, eſt funeſta; ſed illa demum, quae fit pulmone ab aqua in thorace laceſſito, et feralis et funeſta eſt, ſpemque adimit ſalutis *Bonet* ... Sunt, qui contendunt, tuſſim in hydrope produci ab aqua transverſum ſeptum verſus ſuperiora premente; alii contra, qui dubitant. Sic vidit cl. *Krauſe* aegrotum, quem tuſſis tantum evacuatis aquis urgebat, accumulatis iterum ceſſabat. Simile quid vidiſſe *Galenus* videtur, dicens in comment. in lib. I. Hipp. de morb. vulg. ubi humores nimii expurgantur, ſolent ſequi tuſſes. Sic et *Foreſtus* obſervavit, aegrotam quamdam omnino pejus ſe habere coepiſſe, ventre magis magisque intumeſcente, et aqua ad diaphragma aſcendente, pulmonemque comprimente, reſpirationis quidem difficultatem, minime vero tuſſim incidiſſe. Ex ſententia *Alex. Tralliani* tuſſis potiſſimum cum ejectione quadam excitatur iis, qui a pulmonum vitio aqua inter cutem laborant; qui vero ab hepate, tuſſiunt quidem magna ex parte, ſed nil notatu digni exſpuunt, et irritantur ſolummodo. Idem affirmat ex parte cl. *Krauſe*. Quibus hydrops, inquit, ab jecinore incipit, tuſſiunt vel ſaepius tantum tuſſiendi conatus edunt, ſed ne quicquam exſpuunt. Modicam et ſiccam, vel etiam cum ſalivalibus ſputis, tuſſim obſervari in hydrope pericardii, annotat *Monro* ex *Franciſ. Albertino*, in hydrope pectoris ſiccam tuſſim *de Haen*.

Interdum in hydrope etiam incidit ſingultus; mali quid, an ſecus indicet, illius ex comitatu ju-

judicandum est. Perpetuum saltim non videtur, mali ominis illum esse. In homine quodam, ab urinae et alvi suppressione hydrope detento, et in muliere quadam assiduum observavit *Lister*; haec accedente febre intermittente perniciosa correpta succubuit, ille feliciter sanatus est. Mali tamen semper quid suspicari licet, ubi post largas evacuationes aquarum per alvum aut incisionem institutas, aut corpore jam morbi diuturnitate valde debilitato, incidit.

De connubio epilepsiae et hydropis jam supra quaedam proposui. Pertinent et huc quicunque motus convulsivi, qui in genere mali quid alunt. Hydropicis, inquit *Hippocrates*, succedentes morbi comitialis offensiones, perniciem afferunt, pravis invicem succedentibus signis; quae vero nisi accedant, non aeque pertimescendae videntur; narrant enim *Stoerkius*, *Ettmüller* et alii, convulsiones non solum non nocuisse, sed potius quoque salutares fuisse. Quodsi autem aegrotum valde infirmatum, vel post paracentesin, aliasque evacuationes largas, occupant, minime melioris notae esse videntur. Ubi morbus nondum inveteratus feliciter abigitur in sexu sequiori, eductisque aquis menstrua rite intrant, reconvalescentes saepe motu spastico convelluntur. Sed haec non adeo terrent, roburque ubi redit, decedunt. Saepius haec accidunt hystericis. Ubi ad summum morbus deductus est, incidunt interdum tendinum saltus, praecipue vero in tertio gradu Hydrocephali observantur, ut contendunt *Whyt* et *Monro*. Ex sociis semper noscuntur.

Som-

Somno et quiete inquietatus ubi expergiſcitur ſubito hydropicus, mali ſemper ominis eſt; indicat enim vel ſummam aquarum acrimoniam nervos irritantem, vel ſupervenientis aut jam praeſentis pectoris hydropis exhibet ſuſpicionem.

Frequentes ubi contingunt horrores in hydrope, inſequente febre, ſuſpicionem ſuppurationis cujusdam internae exhibent; degenerant ſaepius in rigorem, et internas convulſiones, efficiuntque una ſimul largas ſolutiones. *Duverney.* Eoque tendere videtur *Hippocratis* illud de epilepticis offenſionibus, quae perniciem afferant alvosque humectent. Horrores febriles cum ardore interno in aſciticis ſupervenientes, funeſtum plerumque exitum praedicunt. *Ettmüller.* Continens et aſſidue vexans rigor, imbecillo jam corpore, in genere lethalis eſt, ſecundum *Hippoc.* ſic etiam in hydrope.

Huc et nominanda eſt febris, quae hydropi ſupervenit, ſed quid illa ad prognoſin conferat, jam ſuperiori parte ſcripti hujus adduxi. Pauca adjicere placet. Ab initio plerumque non ſtatim adeſt febris, ſed cum procedente morbo aquae acriores fiunt, et putreſcere incipiunt, tum incidit plerumque, ſic ut fere plurimi ex hydropicis febriant, autumante *Aetio.* Inordinata plerumque et hectica eſt. Ab adaucto ipſo morbo nata, mala ſemper, ab alia occaſione cauſaque externa, non aeque pertimeſcenda videtur. Interdum febris intermittens eſt; ex obſervatione *Liſteri* aegrota illius decima quarta quondam intermittente febre laboraverat, inſequitur hydrops, febris ceſſat, procedente morbo recrudeſcit, alte-

ro-

roque jam paroxysmo moritur aegrota summo pedum frigore inhorrescens.

§. 4.

Debilitas. Torpor. Vocis defectio. Animi deliquium. Tremor. Palpitatio cordis.

Omnibus quidem hydropicis familiaris est debilitas; sed quo altius tamen illa procedit, eo citius dirimuntur miseri. Protinus itaque pertimescendus est hydrops, ubi vires valde sunt prostratae, ubi non sufficiunt, quae ad corporis membra movenda requirantur. Bonum contra, ut ait *Hippocrates*, ubi exercitationem adhuc minus aeque sustinent hydropici citra lassitudinem. Bonum quidem, sed non certissimam ubique spem recuperandae sanitatis exhibet, statim post evacuationem aquarum per paracentesin, sustinere posse exercitationem et fatigationem, male autem semper, ubi vires non redeunt. Crescente malo inde fit gravitas corporis, cui si accedit unguinum et digitorum livor, mors ante ostia, *Hipp.* Ad omnem corporis motum pigri sunt aegroti, pedes obrigescunt nec moveri queunt, altius procedente Ascite, totiusque corporis membra in Anasarca. Qui torpor, dummodo a solis aqua infarctis partibus oritur, non adeo pertimescendus; pessimus vero, ubi suspicio adest, in cerebri ventriculis incipientem aquarum accumulationem in causa esse; aut ubi universum corpus tenet, et vigiliae continuae, stupor, vocisque defectio accedunt, membrumve aliquod plane resolvitur et evadit paralyticum; vim nervorum ex brevi plane deliteſcere, inde autumare licet. Paralysis illa brachii alterius incipiens cum aliis in-

indiciis, metum aquae aut puris collecti in pectore exhibet. *Klein.* Vocis defectio jam per se hydropicis longum et periculosum morbum, non raro mortem ipsam portendit, ut videre est ex hydropicorum historia *Hippocratis*, de morb. vulg. Lib. VII. Interdum perfecta sensuum externorum vacuitas incidit, summae morbi gravitatis index. Animi deliquium excipit non raro subitas et largas aquarum evacuationes, vel arte institutas, vel sponte accidentes, et pessimi semper omnino judicatur, praesertim ubi in syncopen transit et plenaria exsolutio insequitur, mors certe est pediissequa. Interdum perquam familiares sunt ascitici tremores superiorum partium, quae emacrescunt, ob summam nervorum debilitatem, assiduamque irritationem acris fluidi resorpti. Ex quibus, quod si frequentes sunt, quodsi altius jam procedit malum, aliaque pejoris notae signa adfuerunt, instans apoplexia aut saltim certissimus mali malus exitus non incongrue colligi videtur. Cordis frequenter incidens palpitatio efficit suspicionem impedimenti cujusdam insuperabilis, cordi, vel majorum vasorum systemati insidentis, v. c. grumi sanguinis, aneurismatis, varicis, polypi, cordis erosi, quae vel sub morbi progressu nata sint, vel causam ipsam hydropi praebuerint, pessimo semper augurio inserviunt. Familiaris esse solet pericardii aut pectoris hydrope laboranti.

§. 5.

Somnus. Vigiliae. Vertigo. Mens alienata. Mores aegri. Dolores. Pruritus.

Raro hydropicis, cum morbus jam altius processit, quieto et perplacido somno frui licet; bre-

breviſſimus eſt, et turbulentus, nec aegri eo levantur. Acrimonia nervos perpetuo vellicans, incitatior et irregularis ſanguinis per ſuperiores partes aegre procedens circulatio, morbique nequitia recte inde colliguntur, praeſertim ubi moleſtior reſpiratio, pavoresque ſomnum comitantur. Spes autem non aufugit, ubi ſomnus laudabilis; immo hydropem ſolummodo per ſomnum periodicum curatum eſſe, narratur in Eph. N. C. Cent. 1. obſ. 76. Modo etiam aſſiduae vigiliae miſerum urgent, eademque graviora indicant, interitumque minantur viribus aegri in dies diesque conſumendis. Interdum contra veternoſo ſomno premuntur aſcitici, veluti hydrocephalo correpti; idque malum ſemper portendere, omnes conſentiunt, et, miſer lethargo ne ſuccumbat, timent. Vertigo ſaepe revertens, inſequente animi deliquio, inprimis poſt largas evacuationes, mali augur eſt. Poſt acceſſionem quandam febris, horrorem excipientem, ubi fatuitas, ſenſuum externorum cum abolitione et aphonia, remanet, malum augurari plerumque licet; indicare enim videtur, nervorum virtutem perinfirmam eſſe et citiſſime deliteſcere poſſe; nec raro tunc hydropi alia interna mala, ut pulmonum exulceratio, juncta ſunt. Febris vigore non raro delirant, ſed mite; ſiquidem plane nullus animi vigor confirmato malo adeſſe videtur; id, quod quondam *Aretaeus* et *Liſter* obſervarunt et miratiunt, hydropicos plerumque patientes eſſe, morbumque praeter rationem tolerare, placidosque ſemper bona ſperare. Sed minime laudabilem prognoſin inde colligit *Aretaeus*. Animi, inquit, abjectiones cum ſilentio, et ab hominibus ſoli-

solitudines fere eos conficiunt. Nec *Celsus*, nec *Coel. Aurelianus* mores hydropicorum praetervidisse videntur; apud illum occurrit v. c. hydrops ob intemperantiam insanabilis. Ubi hydropici statim post paracentesin, quamquam haec eos levaverit, morosi inquietique evadunt citra evidentem rationem, plerumque moriuntur, autumante *Duverney*. Animi inquies solet et laborantes hydrocephalo infestare, annotante *Whyt* et *Monro*; angunt aegroti, inquiunt, spirant, conclamant interdum, quid velint nescientes. Stupor indicat semper, cerebrum non leviter affici; praecipue, ubi caetera languescentis nervorum virtutis signa adsunt, tristem exitum. Contra vero nec minus saepe premuntur miseri dolore, vel assiduo, vel per vices redeunte, alia aliaque parte. Placet ergo, per singula quaedam ire. Capitis dolor assiduus saepe urget, saepe febris vices supplet, it reditque; metus inde oboritur, ne graviora mala aliquando immineant, praesertim ubi denique torpori, surditati, et sopori jungitur, aut ab his excipitur. Incipiente malo ubi ex primis viis, aliisque externis causis dimanat, minime pertimescendus. Obtusus dolor sub sterno post corporis exercitationem oriundus in hydrope pericardii observatur. *Monro*. De dolore sub respiratione jam supra dixi. Ingens dorsi dolor, diuque subsistens, interdum in pectoris hydropem degenerat. vid. *Grunerí Semiot.* p. 292. Infestant interdum dolores praecordia, intestina, ventrem, ut jam adnotavit *Trallianus*. Eminent ex his ardor, dolor ventriculi et oesophagi, quem *Hippocrates* et *Plater* in hydropicis proxime ante obitum observarunt. Utriusque causa corruptissi-

tissima putrilago videtur; ventriculi doloris etiam causa annotatur, cordis ingens magnitudo praeternaturalis. vid. Eph. N. C. D. I. Ann. IV. V. obs. 31. In ventrem ubi incidunt dolores, attendi oportet, utrum fixi alicui loco insistant, aut modo eant, redeantque modo, an vagi ubique oberrent. Ex quo non raro detegimus sedem mali alius, vel hydropis ipsius fontem. Sic dolores nephritici post parciorem urinae fluxum in hydrope orti *Platero* detulerunt ulcera renum; sic saepe scirrhosas obstructiones viscerum reperire licet; quae quidem non semper dolere solent, sed interdum modo evacuatis aquis, modo ubi tanguntur. In externis abdominis integumentis fixus loco quodam circumscripto dolor saepe incipientis ibi abscessus infert suspicionem. In uteri hydrope pars illa sub umbilico ad contactum dolet. *Hipp.* de morb. mul. Peritonei hydropem plus doloris, ac alias species, inferre, monet *Kleinius* ex *Hoffmanno*. Qui ab extensione abdominis in dextro sinistrove hypochondrio oboritur dolor, ascitici fere omnibus familiaris est, non adeo pertimescendus. Viribus jam exhaustis, maloque jam plane confirmato accidentes dolores, vagique per abdomen oberrantes saepius lancinuantes, subitoque iterum evanescentes, paulo post recrudescentes, illis rectius forte adnumerantur, de quibus *Hippocrates* quondam: ex laterum inanitate, inquit, ad tenue intestinum migrantes dolores in diuturnis morbis perniciem denunciant; indeque etiam *Kleinius* praedicere videtur, vehementes dolores, incidentes cum testium et pudendorum sursum contractione, mortis periculum denunciare. Intestina eorumque ner-

vi ab assidua inundatione aquarum nimis agiles fiunt, irritabilitasque nimis augetur ante, quam plane abolitur; eductis itaque aquis fieri nequit, quin convellantur, doloris sensum, interdum inflammationes et internas convulsiones creent. Saepe ex eo post paracentesin vehemens excitatur colicus dolor; cujus exempla exhibuit *Schmucker* vid. ejusd. Chirurgische Wahrnehmungen T. II. pag. 204. Interdum incipiente hydrope, dum vires adhuc vigent, pedum aliusve membri dolore cruciantur aegroti, quod non adeo malo omnis videtur, nisi diu persistat, aut crescente morbo increscat; id quod in altero pede plurimum fieri solet. Pruritum his adjungo, quo ascitici non raro cruciantur, quemque non inter mala signa numerari solere contendit *Lister*.

§. 6.

Sitis. Appetitus. Deglutitio. Ructus et Flatus. Nausea et Vomitus. Alvi dejectio.

In hydrope maxime urgens symptoma sitis esse solet; minus tamen in Anasarca, quam Ascite, ut proponunt *Aetius* et *Wedelius*. Incipiente morbo non adeo quidem ingens est, sed adulto crescit, modumque excedit. Causam agnoscit, pituitam oris et faucium propria sua natura lentam, humores, qui vascula perire nequeunt, et acrimoniam, quae in hydrope inveterato deprehenditur putrida, teste *Swietenio*. Merito itaque pro malo signo habetur. Bonum contra autumare, morbumque non adeo dirum esse, scire licet, duce *Hippocrate*, ubi nec ulla nec ingens saltim sitis aegrum vexat. Prostant quidem ob-

ser-

servata, ubi, altius procedente ascite, vix ulla adfuit sitis, et tamen aegroti mortem effugere nequiverunt: quod legitur apud *Listerum*. Sed minime haec deflectunt *Hippocratis* effatum, praesertim ubi, ut ille, quod semper expedit, alia etiam perpendimus concomitantia. Praesente itaque sitis causa, plane non sitire, nisi multo pejus, certe tamen aeque malum est, ac ingente siti urgeri. Quid enim praesagiendum, ubi vel fatua et perpetue fere alienata mens illam non sentit, vel nervorum virtus adeo infirma, deleta est, ut ne leviſſimam quasi quidem vitalium actionum sustinere, nec ad illam excitari queat? Spes affulget, ubi detumente abdomine, viribusque pro rerum conditione integris, sitis sensim sensimque minuitur, introque naturales limites recedit, nec lingua, cum alias, tum neque a somno, quod admodum fieri solet, inarescit. *Hippocrates*. Ciborum appetitio plerumque in hydrope deficit, aut sensim sensimque procedente malo perditur, imo aegroti fastidiunt saepe: quae pessimis omnino adnumerantur. Nervos enim ventriculi male affectos docet, indicesque male ominosi sunt perturbationis non exiguae primarum viarum, rerumque, quibus perneceſſarius nutritionis blandus succus digerendus est, plane labefactarum. Bonum contra ab *Hippocrate* salutatur, cibos suaviter assumere, suapte natura facile concoquere, nec, ubi quis abunde forsan comederit, graviter affligi. Attamen de eo minime ubique tuti simus, semperque confidentes; interdum laudabili cum appetitione, nec mala digestione moritur aeger. Ex multis ad *Listeri* observata provoco. Neque raro acrimo-

nia ventriculum infestans appetitum mentitur. Adaucto hydrope difficilis vel plane impedita deglutitio accedens, vel ex summa nervorum musculorumque debilitate, paralysi, vel oesophagi inflammatione, ab acri putrilagine orta, natales ducens, summi vitae periculi index salutari meretur. Minus terret ea, quae incipiente malo, dum vires adhuc vigent, ab ariditate faucium producitur. Malae digestionis nota, assiduus scilicet ructus, non ventriculi solum atoniam perhibet, sed, ubi una borborygmi aegrotum vexant, flatusque sursum et deorsum erumpunt, etiam debilitata intestina, viscida et putrida in primis viis volvi indicant, incipientisque tympanitidis non raro ferunt suspicionem. *Coel. Aurel.*

Humores acres nervos ventriculi vellicantes indicat nausea, vomendique cupiditas. Assidue interdum haec aegrotum urget graviter. *Lister* narrat, aegrotum quemdam vix decumbere potuisse propter, se nescire fatetur, quem stomachi motum, ut aeger ajebat convulsivum, tantum non exanimantem, vomitumque et tussim graviter excitantem. Mala etiam, quae ob hepar corruptum continuat. Vomitus modo malus, modo laudabilis censetur. Hydropis per illum, eumque copiosum, soluti non desunt exempla; quorum plura *Fel. Plater.*, *Forestus* et *Monro* exhibent. Contigit hoc interdum incipiente, non plane confirmato aut saltim non inveterato malo, ubi vires visceraque adhuc sunt integra, et aegrotus evidenter ex vomitu largiori allevatur. Malus contra, quo nil effatu dignum ejicitur, quique aegrotum potius delassat; non incongrue in-

inde suspicamur scirrhos, vitiaque alia graviora vel ventriculi ipsius vel aliorum viscerum. Pertimescendus, qui paracentesin peractam insequitur, funestum enim praebet symptoma. Pessimus et ille, qui inveterato jam morbo, viribusque valde prostratis, malisque aliis sub signis incidit; metastasin serosae colluviei ad ventriculum inde arguimus, aegrotum misere mulctantem. *Klein.* Hydropicorum alvus ab initio plerumque dura est et tarda, sic, ut etiam saepe suetam medicamentorum dosin derideat. Non raro tamen mollior et fusior est, quae melior censetur. Laudat *Hippocrates*, ventrem medicamentis celeriter moveri, et alias mollia et figurata excernere. Si a cathartico dato, inquit Willisius, cum ἐυφορίᾳ copiosa aquarum educitur illuvies, laudabilem morbi exspectato eventum. Multum boni exspectavit *Hippocrates* ab alvi fluxu in hydrope: ab hydrope detento, inquit, si aqua secundum venas in alvum fluxerit, solutio fit; et alio loco: si a Leucophlegmatia detento, vehemens diarrhoea supervenit, morbum solvit. Quae vero non perpetua esse, monet *Forestus*, cum permultis, sponte vel arte commoto ventre, et aquosis multis inde purgatis, non semper superfit salus. Siquidem neque commentator ipse *Hippocratis*, *Galenus* in Prog. sine omni restrictione effatum illius credidisse videtur: quibus, inquit enim, ex inani parte principia aquae inter cutem fiunt, iis pedes intumescunt, et alvi fluxus diutius fit, neque exsolvens dolorem, neque molliens ventrem. Sententiae suae corroborandae studet *Forestus* sua ipsius et *Holleri* experientia, qui permultos vidit, ex alvi profluvio

vio quidem melius se habuisse, sed, manente causa, morbum revertentem interitum attulisse. Neque vero malo praesagio ex alvi dejectione favent *Aetius*, *Aretaeus*, *Plater*, et *Monro*. Circa vigorem aliquando in morbo diuturniore venter exturbatus omnem materiem morbum facientem deterit. *Aetius*. Hydrops aliquando, inquit *Aretaeus*, feliciter in lienteriam mutatur; et alio loco: Nonnunquam ex laxo intestino, aqua multa dysenteriae modo profluit, idque plurimos ab hydropico morbo liberavit; denique: quandoque per ventrem cum impetu materia deturbatur, post multorum crassorum, et aquosorum depulsionem, hydropicus morbus ipse tolli consuevit, quodsi nempe (quod recte monet) natura pristinas vires recipit; post subitas enim et copiosas exinanitiones, prostratis viribus aegri interdum interierunt. Per aquosam et largam diarrhoeam sponte hydropem saepius solutum, dubium vero eventum ab nigris dejectionibus, vel aliis alvi profluviis, observavit *Platerus;* aliis morbus feliciter, aliis morte, finiebatur, idque interdum ex nigra dejectione subito. Eadem pessima nota signantur egestiones cadaverosae. Quibus omnibus perpensis, boni semper quid praesagire possumus, ubi diarrhoea in hydrope ex causa adhuc superabili orto incidit, ubi vires vitae roburque adhuc vigent, ubi a naturae viribus sponte, nec symptomatice, nec impetuose, instituitur, ubi et alia illam comitantur vel insequuntur bona signa, aegrotusque statim tam allevatur, quam maxime ex rerum conditione fieri potest. Contra autem, dictitante *Hippocrate*, ad extrema ventum est in hydropicis, ubi sub infirmis viribus, ac ingenti dys-

dyſpnoea, jungitur diarrhoea; et alio loco: ſi diarrhoea, quae acceſſit, aegrum non levat, et dyſpnoea manet, illaque in dyſenteriam mutatur, intra triduum moritur miſer. Peſſimum etiam eſt, ut contendit *Duverney*, ubi peracta paracenteſi larga alvi dejectio aegrum detinere pergit, nec aegrum allevat, qui certe dein moritur exſiccus, valdeque tumente abdomine. Fuere quidem, qui ſiccitatem potius quam laevitatem alvi in aſcite laudarunt ubique, imo diarrhoeam in qualicunque hydrope plane lethalem enunciarunt; ex quibus *Rhazes* et *Avicenna* nominantur a *Foreſto*. Sed virium et valetudinis ratione aeſtimandum videtur triſte hoc effatum. Nec praeterire huc placet obſervatum *Tralliani*, qui contendit, alvi retentionem in hydrope indicare viſceris alicujus inflammationem, exceptis veſica, et meſenterio, quorum enim propria eſſe indicia, ventrem magis profluviis nec non corruptionibus continuis et inteſtinorum eroſionibus infeſtari. Et *Galenus* ipſe adnotat, ventrem iis, quibus aqua inter cutem ab jecinore inceperit, nil niſi dura ac pro neceſſitate reddere. Crebram deſidendi cupiditatem ſ. teneſmum in hydropicis perniciem ac mortem certam praeſignificare, ex quibusdam allatis quisque ipſe pervidebit.

§. 7.

Salivae fluor. Sputa. Sudor. Urina.

Hydropicorum ſaliva plerumque eſt pauca, ſpiſſa, glutinoſa, et alienati ſaporis et odoris, faucesque ſunt ſiccae et exſiccae, et quo gravius hoc incommodum affligit, eo acerbiorem indicit

vel praesentem affectum, vel imminentem aegri conditionem, idque aliquanto magis, ubi orgasticae sanguinis commotiones concurrunt et intensior siticulositas una corripit. *Alberti.* Salivae fluxu spontaneo itaque sanatus hydrops raro occurrit, etiamsi quaedam observata pro re loquantur. Nec plane incongrue contendere videtur *Listerus*, tum contingere salivationem, ubi vel ante vel sub hydrope mercurii doses exhibitae sint aegroto. Quae si autem morbo jam adaucto sponte etiam incidit, mali potius quid inde praesagire possumus; cum forsan humores valde tenues, acres, debilitas et resolutio musculorum oris, in causa sunt; aut si aeger jam lethargo premitur. Non adeo quidem terret, quae initio morbi a vermibus forte excitatur, neque si aegrota est hysterica. Quandoque etiam nauseae jungitur. Sputa non omnes hydropici rejiciunt, sed sicca plerumque tussi urgentur. Ubi autem quid extussiunt, sputa omnino examinanda sunt, cum facile ex illis cognoscitur pulmonum conditio, quorum vitia saepe saepius hydropi juncta observantur. Sic v. c. purulenta, vel viscida aquosa, mali odoris, suspicionem exulcerati pulmonis, empyematis vel pulmonum hydropis, inferunt. Ubi pericardii hydrops aegrum tenet, observarunt auctores sputa salivalia perpauca, cum tussi rejecta. Vid. *Monro.* Varia vero pro rerum conditione in hydrope esse possunt sputa, quorum omnium et singulorum rationes huc percensere superfluum foret, cum incomparabilis semiotices liber ill. *Grumeri* illas satius et uberius suppeditat. Hydropicorum cutis fere semper sicca, et partes aqua tumidae marmoris instar interdum fri-

frigescunt; nullus itaque sudor; aegre saltim elicitur, praecipue, si *Smetio* apud *Bonetum* credendum, ubi jecur aut lien obstructione magna, vel scirrho obduruit: attamen multa apud observatores occurrunt exempla, vehementer aegrotos sudasse, nec, caeteris paribus, sine levamine. Ex novissimis ad illud attendere placet, quod *Moublet* in Journ. de med. 1760 proposuit, ubi sudor tanta copia exiit, ut lintea per diem aliquoties mutare cogeretur aegrota ascitica, et perfecte dein convaluit. Minime itaque contemnendi sunt isti sudores, ubi vires aegroti adhuc vigent; cum omnino fausta morbi solutio ab iis speranda est; imo, ut *Aretaeo* jam visum, cum minori noxa, ac per alvum et urinam; ea quidem ratione, cum haud ita multum in summa cuti humectari solent, ut ex larga et subita aquarum evacuatione periculum timendum sit. Optimam potius itaque fere semper curationis spem concipere possumus, si hydropici, vigentibus adhuc viribus, vel sponte vel non difficulter arte sudare incipiunt; hoc enim, monente *Swietenio*, indicit, extravasatum resorberi, resorptum cum sanguine moveri, per vasa et per cutis spiracula diffiari. Sudores sponte contingentes modo omne corpus tenent, modo singulas partes, et utrumque fere eodem felici effectu; sic gravissimus hydrops spontaneo, largissimo pedum sudore sanatus legitur in Cl. *Kemme* disp. de Hydrope, recus. in Vol. II. non satis laudandae ill. *Baldingeri* sylloges. Malus contra sudor est, qui aegrum non levat, ubi adaucto hydrope viribus vitae deliteſcentibus incidit; praesertim ubi multus, sed interruptus et inordinatus, frigidusve aut olidus,

quippe qui nil levat, quin potius enervat et interdum hecticodes schemate colludit et concurrit. *Alberti.* Sudor acidus, lac coagulans, qui quondam observatus est in hydrope, acrimoniam certissimam aquarum testatur. Act. Haffn. apud *Bonetum.* Neque bonum est, ubi inaequalis, aut quoad quantitatem confusus erumpit, quamdiu alvus obstructa est, qualis enim sudor non modo indolem hydropis non concernit, sed et alia suspecta symptomata inducit. *Idem.* Denique pertimescendi sunt sudores, qui diu noctuque succedunt et nihil remittunt aut intermittunt, cum una aquae per ulcera aliave via prorumpunt, viresque aegroti magis magisque delitescunt.

Parca quantitate profluit in hydrope urina, aliquando imo fere nulla, omniaque humida in abdomen confluunt, sic ut subinde nequicquam ad urinae vias transeat. Sic vidit *Listerus* aegrotum, cui vesica, quamquam omnem adhibuerit opem, ne quicquam reddebat, et experientissimi chirurgi illam plane vacuam reperiebant. Bonum ergo semper, ubi ratione potus laudabili quantitate profluit urina, spes enim salutis adhuc affulget; sin minus, contra. Bonum porro, dictitante *Hippocrate*, ubi in urina profluente, pro instituta victus ratione et potus mutatione, mutatio apparet. Eorum, qui icteri vel vitiati hepatis signa habent et citius et liberius profluunt urinae, quam illorum, quibus hepar sanum et vitii expers est, si observationi *Bacheri* apud *Millm* de hydr. fides habenda. Per largam diuresin spontaneam hydropem saepe saepius feliciter solutum esse, legitur. Laudabilis itaque in hydrope quaecunque larga, si tumor

mor una detumescere incipit, quod nempe, ut in quacunque evacuatione in hydrope eveniente, sic etiam in urinae profusione, unicum signum est non contemnendae aquarum resorptionis; quod si autem non eveniat, vires aegroti potius evacuantur, sanguis resolvitur, morbusque inde fit pejor. Male, ubi ex usu diureticorum urina non elici potest laudabili quantitate, quamquam alvo quidem aquarum paucae subductae sint. Magna copia profluens urina aquosa, bona. *Krausse.* Si multa et crassa fertur, in qua multum limosi subsidet et cum impetu erumpit, humorem illum intercutaneum effluere posse, sperandum est. *Aretaeus*; aliquam etiam spem exhibet non admodum rubens. *Plater.* Urina copiosa, post paracentesin prorumpens, sedimento quodam albido et feculento repleta, quale in ipsa per paracentesin evacuata aqua reperitur, indicare videtur, resorptionem etiam nunc bene fieri, spemque sanationis affulgere. *Duverney.* Alias sedimentum lateritium hecticae et hydropicis familiare est; nec minus sandarachoides, fides penes *Galenum* sit, signum hydropis ex hepate ulcerato orti. Mala sunt: crassa, lixiviosa, pauca. *Krausse;* crassa, quae diu in hydrope excernitur. *Grumer*; rubicunda. *Eph. N. C.*; rubra post purgans propinatum; id, quod non omnimode nos terret, indicat potius summam circumspectionem esse adhibendam; rubra et lateritia, ante et post paracentesin, pauca profluens. *Duverney*; tenuis sedimento carens, et pauca; auget enim fovetque aquam intercutem. *Aretaeus.* Neque subpallida, et ex mixtione subturbida, quamquam larga fluxit et ad assumtae potionis proportiomen,

nem, ab interitu tutari et conservare potuit aegrotam. *Lister.* Subrutila, tenuis in hydrope sonticum habetur et periculosum. *Theophil.* de urinis. Crassa et subrubra hydropicis hecticam adjunctam ostendit. *Gruner.* Bicolor urina, sic ut rufa sit inferius, et livens superius, aut rubra superius, inferiusque nigra, lethalis nuncupatur a *Gordonio* apud *Foreſtum.* Denique mortem propinquam decernit, urina profluens similis sanguini coagulato. *Foreſtus.* Sed etiamsi aegroto felici contingat, non alienati coloris, consistentiae, quantitatis, aliaeve conditionis urina, tamen quandoque spe decipimur falsa; ubi scilicet causa hydropis non removenda, aut nervorum systema tanta est labe inflicta, ut vitae vires nulla sint arte resuscitandae.

§. 8.

Color. Frigus. Calor. Siccitas. Mador cutis. Ulcera. Abscessus. Macies. Tumor.

Pallidus et albidus color familiaris est leucophlegmatia, plerumque Anasarca, quandoque et Ascite laborantibus, utpote qui non raro subflavo tinguntur, praesertim ubi ex hepate, ut nonnulli volunt, aut ex ictero hydrops natales duxit. Interdum et maculis purpureis lividisve, non optimi ominis, foedantur. Frigidi fere omnes hydropici sunt ad tactum, adeo, ut igni admoti, vix cutim sentiant exuri. Contigit tamen non raro, ut *Foreſtus* proposuit, in Ascite, praecipue ex ictero, diffusis per omne corpus biliosis humoribus, calorem subinde tantum excitari, ut quacunque parte, scalpta cuti, leviterque vulnerata, mox calidus, niger et quasi adustus effluat san-

sanguis. Bonum contra est, ut ait *Hippocrates*, ubi hydropicorum corpus aequaliter et naturaliter calet. Cutis plerumque est dura, sicca, etiam citra madorem; sed melius est, ubi universa quodammodo madet: favet enim morbi solutioni per diaphoresin. Corrupta ex acrium aquarum stagnatione cellulosa tela, ulcera alia aliaque membra depascuntur, quae, consentiente *Hippocrate*, aegre semper sanantur, aegrotumque subinde excruciando conficiunt; oriuntur enim utplurimum funesta, ubi hydrops ad summum pervenit. Attamen non semper propinquam mortem denunciant, autumante *Mangold.*, viro post fata semper celeberrimo: in senibus, inquit, observavi, non semper gangraenam et mortem praeforibus esse significant, sed quandoque aquarum in corpore copiam exhauriunt, ita ut ichor eorum instar aquae, quae per fistulam transit, pleno quasi rivo exeat, et respiratio evadat facilior, reliquaque symptomata leventur. In junioribus vero adhuc plura sic sanatorum exempla exstant, sed putredo hic omni modo cohibenda est. vid. ej. Diss. de Ulc. gener. et spec. §. 9. edit. ill. *Baldingeri*. Nec minus occurrit apud *Listerum* observatio, ubi etiam putridis jam ulceribus convaluit aeger, et sic rel. Non raro ante mortem livida pallidave et sicca fiunt. In quibusdam hydropicis oriuntur et vesiculae vel pustulae, quibus erumpens humor fertur; ac dein vulnera sanatu difficilia fiunt, aegreque cicatrice obducuntur. *Coel. Aurel.* Idem observavit *F. Plater*; sed, aliquos illis sanatos esse, licet in aliis indicia fuissent mortis imminentis, testatur: id quod respondet et *Listeri* observationi, qui a vesiculis

per

per se ortis et disruptis tenuem humorem assidue ferri, aegrumque convaluisse vidit. Scabie ipsa quandoque Anasarca abigitur, ex observatione *Foresti*. Nec erysipelas et inflammatio, quamquam in dies aucta, semper et ubique lethalis observantur, etsi quidem numquam periculo vacent. In ascite seu hyposarca carbunculi quasi pestiferi aut anthraces supervenientes, mortem propinquam praenunciant. *Foresius*. Aliae aliaeque corporis partes quandoque in hydrope etiam abscessibus intumescunt, et deturpantur, qui modo mali augurii censentur, modo absque noxa sanantur, modo etiam salutaria deprehenduntur.

Ubi superiores partes in Ascite valde macrescunt, consentiente *Swietenio*, ab *Aetio* mali ominis habetur; ejusque pejoris, quo magis contabescunt, cum eadem ratione plerumque abdomen intumescit. Quandoque et extrema emaciantur, vel colliquefiunt, quod dictitante *Hippocrate* malum habetur, praestatque potius, illa esse tumefacta, etsi optimum sit, horum nihil adesse. Ubi, morbo adaucto, aqua sponte erumpente, omnes partes, abdomine excepto, contabescunt, mors ante ostia esse videtur, et marasmo vita exsiccatur. Tumor in Ascite praecipue occupat abdomen, omne fere corpus autem in Anasarca; quandoque etiam aliam aliamque partem; ac, ubi digito id premimus, cavitas oboritur, detractoque digito lente in pristinum statum revertit. Ubi tumor intensus et pellucidus nimis, humores jam adeo resoluti videntur, ut summa in adhibendis medicaminibus circumspectione opus sit. Sed et Asciticis pro rerum morbive conditione

haec

haec vel illa membra intumescunt, non optimi ominis, de quibus autem aliis, quae in hoc paragrapho in genere dicta sunt, in sequente differam, ubi per singulas corporis partes ire placet. Quo magis tumor ille hydropicos urget, decubitumque quietum impedit et extra lectum sellae affixum aegrum tenet, sic ut nulla requie, nullo placido frui possit somno, eo gravius laborare aegrum, eoque difficilius sanari, licet suspicari. Numquid experientia ubique confirmari potest observatio *Tralliani*, qui, hydropem a pulmonum vitio certe ortum esse, sibi persuasit, ubi totum corpus et pedes omnium maxime intumescant, praecipue urgente simul tussi?

§. 9.

Facies. Oculi. Os. Lingua. Collum. Pectus. Extrema. Loci utriusque sexus. Abdomen. Umbilicus.

Faciei tumor in anasarca, cui familiaris est, non adeo pertimescendus videtur, quamquam interdum et palpebrae ipsae adeo inflantur, ut nullo modo diduci possint. Asciticorum facies, vel florida, vel pallida vel interdum icterica, modo ante omnia intumescit, ut ex *Hippocrate* discimus, modo adaucto tandem morbo; malique ominis, ubi detumescens livida specie nos terret. Tumor ille plerumque matutino tempore ingens apparet, diu evanescit noctuque dein rursus assurgit. Facies florida derepente in luridam et plumbeam mutata iis, qui pectoris aut abdominis hydrope laborant, propinquam mortem denunciat; itemque ex pallida, et subflava, et simul extenuata

cum

cum oculis concavis, labiis pallidis etc. mortem aliquot ante menses praesagire licet. *Hoffm.* Oculi album pallido saepius, interdum icterico colore, quamquam insons plerumque hepar post mortem reperitur, deturpatur. Ante oculos interdum volitant phantasmata, visus hebetatur, non raro abolitur, summae utique debilitatis indicia. Genae quandoque rubent phthificorum more, labiaque livescunt, nec omnino deest suspicio puris in pulmonibus aut pectoris cavo collecti. Quo minus itaque totius faciei color speciesque deturpatur, sed naturalis subest, eo major spes manet, morbum corporis habitum non adeo mutasse, ne ulla superfit sanatio. In hydrope os exulcerari, vitae discrimen denunciat. Madidam linguam *Hippocrates* in hydropis sanabilis signis collocandam censuit. Os aphthis, lingua et dentes crassa viscosa sorditie obsessa, cum foetore, putredinis et proximae mortis praenuntii existimantur. Si lingua plumbea in hydrope apparet, scire licet, mortem in propinquo esse. *Hipp.* in Coac. Colli superior pars quandoque in Anasarca noctu aquis inflatur, et buccula seu pars illa cellulosa sub mento, alias in obesis et bene pastis pinguedine, nunc aquis plena, sacculi instar dependet, et matutino tempore respiratio ab abundante viscido in faucibus sonora magis inde aggravatur. Hydropici cujusdam collum sub qualibet contractione cordis adeo intumuisse, ut venae jugulares visae sint pulsantes, legitur apud *Monro* pag. 22. Ab ossificatione cordis ventriculi valvularum morbus natales duxerat. Pectus percussum vel nusquam vel altero latere tantum resonat; aquam inde in pectore haerere suspicamur; eoque latere,

quod

quod non resonat, hydropis sedem esse censemus. Et si eo loco, ubi cor situm est, sonitus, veluti suffocatus, obtusior est, et talis, qualis ex frustulo carnis percussae est, observatur, hydrops pericardii subest. *Auenbrugger.* Scapulae alias quidem non intumescere solent, attamen multa aqua inflari illas vidit *Lister.*

Brachia et manus emaciata viribusque destituta quandoque paralysi solvuntur, ut supra jam monui, quandoque etiam, ubi ad extrema ventum est, intumescunt, et, si credamus *Foresto*, pessimum inde formandum est augurium; sed interdum tamen tumente, detumente, rursusque inflata altera vel utraque manu per aliquot temporis spatium vitam adhuc protrahunt miseri. Signis etiam, quae pectoris hydropis suspicionem inducunt, haec annumerantur, praesertim si dolor, torpor, frigus sine evidente causa manus occupat, aliaque illius indicii signa simul adsunt. Quandoque ex omnibus partibus corporis manus primo intumescere, dein ventrem, post haec tandem ceteras partes, observatum a *Listero* legitur. Si unguium digitorumque livor cum gravitate corporis accedit, mors ante ostia; minus vero pernicialis est horum pedumque nigror, si absces-sus habeas indicia, quo denigratae partes decidunt *Hipp.* Ungues in hydrope pectoris aduncti fiunt. *Idem.* Pedes in incipiente hydrope primo affliguntur, ubi hydrops a simplici tenuitate originem trahit, in abdomine autem tumor, ubi a scirrhis viscerum oritur; tumque tarde Asciti succedere pedum tumorem, praesertim ubi aqua collecta haeserit extra abdominis cavum v. c. in hydrope peritonaei, suspicatur *Swietenius.* Ubi

sero demum pedes et femora intumescunt, arguit *Duverney* saccatum hydropem. Ab initio plerumque evanescit tumor ille pedum decubitu horizontali, sed, ubi altius altiusque assurgit, nec amplius noctu delitescit, evidenter augeri morbum, existimamus. Hydropicorum crura, quae ante fuerant instar marmoris frigida, jam vero recalescunt, stagnantem et putrescere incipientem lympham, atque fatum portendunt. *Swieten.* Femoris et scroti tumor sequi solet, consentiente *Swietenio*, hydropem jam inveteratum; sed et interdum protinus in Anasarca incipiente incidit, praesertim ubi aeger vitam agit sedentariam, ubi assidue divaricatis cruribus scamno insidet, ut v. c. illi lanificorum solent, qui lanam carminant. Scrotum interdum ad ingens volumen inflatur; saepe testiculi solummodo, praeputium totusque coles intumescunt et miro intorquentur modo, adeo, ut urinae excretio saepe difficillima fiat, imo plane supprimatur. *Aretaeus. Forestus. Lister. Swieten.* Aliquando veretrum virile inflatur, intorquetur, scrotum apprehenditur, sursumque trahitur in hydrope sicut in Leucophlegmatia. *Coel. Aurel.* itemque in pectoris hydrope. *Hoffm.* et quodsi vehementes dolores simul incidant, mortis periculum denunciatur. *Klein.* Eadem ratione etiam intumescunt muliebria, uterusque saepe prolabitur. Non adeo quidem semper in anasarca tumet abdomen, magis vero in ascite; sic, ut ad ingens volumen distendatur. Per tactum alia aliaque praesagia reperimus. Ubi molle adhuc est, bonum, dictitante *Hippocrate.* Ubi inaequaliter durus est, scirrhos suspicamur; ubi cubantis aut erecti superior pars abdominis per-

percussa tympani vel obscurum sonum edit, lateribusque inferioris partis fluctuatio persentitur, mali ominis complicationem reperimus. Fluctuatio quidem nos docet, aquas in abdomine collectas esse, sed quandoque anceps reperitur. Flatibus enim et viscida sorditie infarcta intestina, saepe tactui et impulsui mentiuntur fluctuationem; quod semper demum lethale observavit *Duverney*. Interdum ex altero latere multo magis distenditur abdomen, mutatoque decubitu eadem forma speciesque manet, ex quo hydropem saccatum simul adesse supicamur. Malum est, ubi omnis venter rigidus est et perquam durus, et ubi lividus et flaccidus fit: ex illo arguimus non raro internas inflammationes, ex hoc putredinem; et vix ad proximos dies protrahunt vitam aegroti. *Baldinger* malique augurii, ubi statim post paracentesin iterum intumescit; quoque citius, eo minor spes salutis supererit. vid. supra Sect. I. nec minus, si ex usu evacuantium magis inflatur. Quandoque adaucto morbo per summum ventrem discurrentes venae magnae et varicosae fiunt. Assidua extensione abdominis musculi adeo laxantur, ut leviſſima accedente causa exomphalus oriatur; imo quandoque sponte jam nascitur, quodque facilius accidere volunt, ubi pinguedo omnis colliquata consumitur. Pessimi quidem hoc ominis videtur, cum *Hippocrates* jam contendit, omni pinguedine consumta, hydropem protinus esse insanabilem, idque ipsum cognosci, ubi febres advenerint et erectus stare nequeat aeger, et umbilicus inflatus foras promineat, tunc, inquit, pinguedinem non amplius adesse, aegrotumque sanari non posse, dicito.

Quod vero non ubique signum conclamati vere hydropis, sed anceps tantum habendum esse, discimus ex *Swietenio*; simulque observata docent, non tantum protuberante umbilico, sed etiam a valida pressione rupto, aegros superstites aliquos mansisse, et hydromphalo arte dissecto plures curatos esse legitur, dummodo caute aquae evacuantur.

§. 10.

Spontanea vel arte elicita aquarum profusio.

Ubi seri extravasatio, inquit *parens Medicinae*, in hydropicis non praesto est; ibi etiam spes salutis nondum evanuit, et contra periculum imminet, si tumores hydropicorum rumpunt, et horrores febriles incidunt; praesagiunt enim gangraenam. Inde etiam spontanea aquarum profusio ab aliis in malis signis habetur. Sed non ubique nigra illa nota signanda videtur, cum, quam saepissime bonam inde contigisse valetudinem, observarunt artis periti. Tunc autem rem conclamatum iri compertum habemus, ubi vis vitae delitescit, et aquae acrimonia sua rodunt, inflammant, ulceraque saniosa efficiunt, nec aegrum profluentes levant, aut ubi nulla alia signa recuperandam salutem promittunt. Alia aliaque via spontanea illa fit profusio; modo ex dilatatis poris prorumpit vel roris vel rivuli instar; modo ex vasculis prosilit, epidermidemque attolit, et inde natis veiculis ruptis promanat. Utraque hac laudabili via aegros sanescere viderunt observatores, dummodo nulla alia mala subfuerint signa. Sed ex novissimis testatur *Monro*, se veiculas illas nusquam vidisse, nisi in senibus, aut quibus nul-

nulla recuperandae sanitatis spes supererat, quorumque femora jam gangraena corripi incipiebant, aut in illis demum, quibus acres plantae impositae erant. Modo etiam vascula et cutis exesa fonticulum constituunt, quo aquae feliciter profunduntur. Modo denique sese evacuant vulnere ab accedente orto, cujus multa exempla prostant; sed ex novissimis illud tantum mihi placet adjicere, quod in Verhandlingen van het Bataafsch Genoetschap etc. a cl. *Baggers* observatum narratur: hydropicum scilicet militem, cujus rem fere omnes conclamatam dixissent, perfecte demum sanatum esse permultis mali odoris fluidis evacuatis per linguae vulnus, quod aeger convulsus sibi ipsi dentibus inflixerat. Quibus tamen viis eas tantum aquas, quae in cellulosa tela vel externa vel interiorum partium, minime quae in abdominis cavo ipso continentur, evacuari posse, censet *Monro*; indeque autumat, nunquam eas Asciti convenire, nisi juncta sit Anasarca. Sed et, Asciten per poros abdominis profluente aqua sanatum esse, legitur in *Eph.* N. C. D. II. An. II. Arte etiam eliciuntur aquae, paracentesi scilicet, scarificatione, ustione quondam, et vesicantibus. Quod si subito et derepente fit, periculum imminet, autumante jam *Hippocrate:* qui hydropici, inquit, uruntur aut secantur, omnino moriuntur aqua acervatim effluente. Pessimum est, ubi ulcere, scarificatione, aut vesicante aut sponte orto subito atque improviso largo flumine evacuantur aquae, quae arte placide stillarunt, sic ut derepente externorum tumor plane deliteſcat, aegroti autem perquam debiles sunt aut hectica febre aut diarrhoeis

tenentur, gangraena et mors certissime appropinquare solent. Gangraena citius saepiusque vesicantia quam scarificationem sequitur, observante *Monro.*

§. 11.

Emissarum aquarum conditio.

Ex aquarum eductarum colore, qualitate, odore, utique praesagia sunt desumenda; siquidem *Hippocrates* ipse jam ad ea attendit, spemque adhuc supereſſe praesagivit, ubi aquae nondum computruerunt, aliove vitioso modo corruptae sunt, nec peritonaeum erosum. Profluunt quandoque tenues, aquosae, pellucidae, crassae, virides, citrinae, rufae, lactis coloris, quandoque lac ipsum aquis admixtum est, sanguinolentae, purulentae, sanioſae, mucosae, gelatinosae, oleosae, limosae, mali odoris plus minusve, subsalsae. Breviter itaque colligam, quae ex his praesagienda putantur. Ubi sanguine tinctae profluunt, nec pungendo forte laesio inflicta est, contendimus, vasa interna rupta, vel macerata vel nimis dilatata esse; indeque etiam explicamus, cur sub evacuatione per paracentesin interdum aquae primo profluant limpidae, dein autem sanguine tinctae. *Swieten.* Lactea semper vel receptaculum ipsum vel majus quoddam vasorum lacteorum ruptum esse declarat. *Monro.* Ubi liquidum profluit, in quo seri et lymphae dotes reperiuntur, boni habetur ominis; cum hoc designat effusos humores sanos aut nondum per moram aut incipientem putredinem degeneres, ideoque spem supereſſe, viscera abdominalia nondum damni multum recepisse. *Swieten.* Ubi

aquae

aquae eductae citrini sunt coloris, submucilaginosae, subsalsae et odorem spirant urinosum, felix imprimis eventus potest sperari. Quo magis vero ab his, aut a statu naturali recedunt, eo minor spes. Si adeo limpidae, ut puram referant fluviatilem, et vel nullum vel perpaucum tantum sedimenti relinquant evaporando, plerumque fere moriuntur aegroti intumescente cito ventre, tumoreque externo indurescente et rigescente. Suspectus semper habetur malus aquarum odor, nosque certiores facit, de solidis corruptis, unde febris, nausea, in pejusque conversa morbi conditio timenda. Sanguinolenta aqua aeque pertimescenda est, ubi sanguis in abdomine illi jam pridem fuit admixtus, quod ex atro rubente nigrove ipso suspicari possumus. Perrubra vel citrina indicat pravam bilis conditionem ejusque praeparationis et digestionis difficultatem. Ubi aquis omenti filamenta vel laciniae innatant, manifesta sunt ejus solutio, corruptio vel suppuratio, aegerque moritur. Ex aquis mucosis, inprimis in sequiori sexu, suspicamur saccatum hydropem, raro sanabilem; eademque ratione eae damnandae sunt, cum quibus membranulae exeunt. Aeque saccati hydropis testes reperiuntur: crassae, nigrae, oleosae, limosae, fatui odoris aquae, parce profluentes, aliae atque aliae sub quavis instituta punctione, tumor abdominis post paracentesin idem subsistens. Bullae aëreae aquae iter claudentes, tympanitidem produnt comitem. Si aquae digitos immissos acris lixivii instar detergunt, cutim corrugant redduntque sensibiliorem, signum est, jam majorem adesse acrimoniam, adeoque merito est

metuendum, ne viscera contabescere jam inceperint. *Duverney.*

§. 12.

Sanguinis profluvia.

Sanguinis profusiones denique plerumque tristis et taedioſi morbi scenam claudunt. Interdum tamen et hae ipsae salutares sunt obſervatae; quamquam certissime solummodo morbo incipiente, viribus vigentibus, hydrope forsan a plethora, aut in junioribus. *Monro* quaedam adduxit exempla et *Liſter* symptomaticam narium haemorrhagiam quotidie urgentem hydropicum puerum quatuor annorum, eductis sensim sensimque aquis per sedes et vomitum, plane cessaviſſe, obſervavit. Haemorrhoides fluentes saepe in anasarca profuiſſe, constat ex *Foreſto.* Menstrua ubi naturali ritu in hydrope succedunt, non inter mala signa numerari videntur; contra autem, si intercipiuntur. Plura de his notanda ex *Hippocrate* transcribam. „Quodſi, inquit (de morb. mulier.), mulier hydrope ex splene laborat, copioſi menses derepente, quandoque etiam pauci descendunt, et nonnunquam velut aqua ex carnibus fiunt, velut ſi quis cruentas abluerit carnes, interdum etiam paulo vehementiores, ac neque concrescunt. Eam crebra respiratio (asthma dicta) prius, quam menses prodeunt, invadit, et splenis dolor, idque magis ſi quid dulce ederit, venterque in tumorem attollitur et magnus redditur. Ac ubi plus solito comederit, venter affligitur et subinde lumbi dolent, ipsamque intra paucos dies febris occupat. Cumque repurgata fuerit, optime, pro superiorum ratione, ha-

habere sese videtur, postea dein in eundem relabitur statum. Quodsi (ut convenit) diligens cura adhibeatur, convalescet. Alioqui et fluor muliebris apparet, et continuo per totum corpus velut sanies quaedam sensim profluit; tumque diligentiore cura opus est. Si fluor non succedit, venter major redditur et uteri hydrops instat.„ Morb. mulier. pag. 177. 178. *Foes.* Si aqua inter cutem in uteris oritur, menses pauciores, aut paulo copiosiores eunt. ibid. p. 176. — Menstrua ab uteri hydrope non semper opprimuntur. *Monro. Haller.* diss. pract. 14. p. 454. Mictus cruentus ubi incidit, et ubi sub infirmis viribus veluti concretus sanguis ab alvo dejicitur, rem conclamatum iri, possumus suspicari. *Lomm.* Sputa sanguine tincta mala sunt omnino; indicant enim, aquarum acrimoniam vasa arrodere, sanguinemque sensim sensimque solvi, de quo dein nos adhuc certiores facit narium haemorrhagia, sub ingente dyspnoea evidenterque delitescentibus viribus incidens, et confirmat, inferiorum vasorum vim vitae deletam, sanguinemque in superioribus congeri, et miserum brevi moriturum. Huic forsan applicari posse videtur prognosis illa *Hippocratis:* in morbis longis, inquit, parvae apparentes sanguinis fluxiones, pernicioſae sunt. Nec minus forte huc spectat illud *Ejusdem*, malum ubique esse, nares sanguinem fundere, ubi alvi interceptae, sed parva, nigra, caprinis stercoribus similia ex necessitate dejicientes, aegrum tenent. *Swieten.*

Haec fere fuere, quae libelli et temporis angusti fines concesserunt proponenda. Desunt certe multa, hoc minime ignoro, indulgentes

itaque lectores, ne exigue et exiliter libellum revocent ad calculum, rogo et obtestor.

XI.

Dr. CHRIST. GOTTHELF. FRIED. WEBEL.

Diss.

De sputis.

Lipsiae, 1783.

Quum ea sit artis medicae indoles atque natura, ut emolumenta ac incrementa capiat vera illa et magna tantummodo ex iis, quae ventilatione diuturna exagitata multoque imprimis usu confirmata fuerunt; ex libellorum medici argumenti scriptoribus, arti salutari profuturi et hinc prae reliquis suspiciendi esse videntur modo ii, qui meditationes proferunt ejusmodi, quas investigatio sagax et crebrior, tentaminaque curiose instituta et frequentius repetita suggesserunt, probarunt, stabiliveruntque. Certe ea artis nostrae pars, quae in sanitate hominum firmanda et restituenda proxime occupatur, parum, puto, lucratur ex opinionum commentis, parumque illustratur hypothesium fallacibus meteoris: multum

tum vero e contrario proficit ex promulgatis observationibus et experimentis, tutis nempe illis ac fidis. Qua de sententia utut egregie persuasus, longe tamen alienus sum ab ea vanitate, ut putem, me, qui juvenis adhuc tum sum, et per aliquot modo annos ad aegrotorum lectulos accessi, posse jam proferre quicquam, quod vel tantillum faciat ad artem nostram illustrandam, quodque non omnino cognitum sit ac occupatum usurpatumque viris exercitatis et peritis. Proinde etiam non audebam hoc ipso tempore, quod specimen aliquod medicum praeceptoribus meis exhibendum postulat, promulgare vel circa unum alterumve morbum, unumve aut alterum remedium captas a me qualescunque observationes. Malebam potius retractare caput aliquod pathologiae, non eo consilio, ut novis vetusta interpolarem, et, ut solet fieri, perverterem, sed ut ingenium quodammodo exercerem in re gravi, magistrisque meis doctissimis et meritissimis ostenderem, quantulum forte valeam et quomodo secutus sim in disciplinis medicis cognoscendis saluberrima ipsorum praecepta. Equidem hic quoque sentio virium mearum tenuitatem, ideoque timidus admodum prodeo. Sed spero tamen, fore, ut et mihi concedant illam indulgentiam viri docti et graves, qua excitarunt usque perhumaniter alios tirones ad graviora conamina.

Optavi vero aliquam Semiologiae partem, quoniam haec doctrina, quantum ego quidem video, unicum et optimum est tutae ac felicis curationis fundamentum, utpote cujus ope ducitur medicus et ad diversarum caussarum scrutinium

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0355
DFG

um et ad ipsius morbi, tum praesentis, tum futuri, notitiam veram, adeo, ut ab ineunte medico nil studiosius sit, assidua signorum cognitione, sectandum. Quumque inter alia *sputum* in plurimis morbis praebeat signa scitu et attentione dignissima, et ex vario sputo unice nonnullarum valetudinum vera indoles intelligatur, progressioque et fata praesagiantur egregie: haud contemnendum esse putavi libelli academici argumentum, cujus tractationem ab ipsa varii sputi fontium et discriminum investigatione ordiar.

§. 1.

Sputi definitio et fontes.

Sputum, quatenus a semiologo ceu variae valetudinis signum consideratur, non sincerus est et simplex humor, unius ejusdemque originis atque naturae, sed potius indolis et mistionis varietate diversissimus. Quidquid nimirum ore, aut per screatum tussimque, aut sine iisdem ejicitur, id omne recte sputum dicitur, modo illud excipias, quod motu peristaltico inverso eliminatur. Quamvis enim suo modo etiam ea, quae vomitu et veluti ructu quodam e ventriculo ad fauces repelluntur et ore tandem redduntur, sputorum indicem augere possent, ea tamen, quum rectius constituere videantur proprium semiologiae caput, ab hujus libelli limitibus, ceu aliena, abesse satius duco. Componitur vero sputum, si de materia ipsius quaeras, ex saliva, muco et liquido quovis, quod vasa tenerae cuticulae oris, faucium, viarumque aerearum roris in modum exhalant, aut paulo copiosius aliquando profundunt, quodque in

recte

recte constitutis est materia perspirabilis, in varie aegrotantibus vero ipse aliquando sanguis, pus aliique humores peccantes. Itaque multiplices compositi hujus liquoris fontes reperiuntur. Et primo quidem saliva, pellucidus ille et aquoso saponaceus oris humor, qui ad ignem fine coagulo fere totus aufugit, exiguamque modo terrae et salis moleculam continet, copiosissime *) secernitur in parotide, glandula conglomerata, auriculae anterius posteriusque adsidenti, in amplissimo spatio sub meatu auditorio inter processum mastoideum angulumque maxillae inferioris, superius arteriis temporalibus, anterius musculis masseteribus incumbente, inferius vero digastricum musculum attingente, posterius denique a sternocleidomastoideo leviter tecta, cujus glandulae ductus excretorius, a *Stenone* cognominatus, in bucca progreditur, et perforato musculo buccinatore ad tertium circiter maxillae superioris dentem molarem in os aperitur; porro in glandulis maxillaribus, parotide duplo minoribus, inferius ad imae maxillae angulum inter mylohyoideum et colli latissimum, in vicinia pterygoideorum internorum et digastrici maxillae musculi positis, laticemque suum per ductus Whartonianos anterius ad linguae frenulum emittentibus; denique in glandulis sublingualibus seu Rivi-

*) Nuckius aliique intra nycthemeron salivae uncias circiter afferunt duodecim secerni. Et quamvis lubenter dederim, ex profluviis, a laeso et lacerato ductu Stenoniano venientibus, secretionis hujus ubertatem haud dijudicari posse; continua tamen praeparatio hujus liquoris in tot tantaeque molis glandulis non potest esse alia, quam largissima.

vinianis, supra mylohyoideum musculum et sub hyogloſſo et lingua ipsa ad mentum et linguae apicem usque excurrentibus plurimisque exiguis poris ad linguae oram patentibus *).

Multo adhuc magis varia est origo muci, sputa ingredientis, utpote quem suggerunt glandulae quam plurimae simplices, folliculosae, non modo buccas, gingivas, palatum ejusque velum, uvulam, fauces, linguam, laryngem atque asperam arteriam obtinentes, sed etiam illae, quae ad nasi cavitatem et Eustachii tubam pertinent, utpote quum patulus tubae identidem succussae finis et nasi choanae defluere ad fauces facile, in resupinato imprimis corporis situ, liquorem in ipsarum glandulis confectum patiantur. Mucus vero in his glandulis paratus muco aliarum corporis partium simillimus est consistentia plus minus tenaci, saporis odorisque defectu, pellucidite denique et solubilitate in aqua, qua quidem ultimo laudata dote aptissimus est, qui cum saliva commisceatur, cui tamen jungitur magis aequabiliter beneficio materiae perspirabilis, sive tenuissimi istius, nec salium tamen expertis roris, quem ut corporis superficies universa externa internaque ubique, ita quoque partes oris, faucium,

*) De salivae mixtione et partibus constitutivis consulatur I. G. Leonhardi, praeceptor meus nunquam satis laudandus, in additamentis ad Macqueri Dictionarium Chemicum, quibus locupletavit et ornavit librum egregium ita, ut vernacula ejus editio longissime superet communi omnium judicio francogallicam (v. Vol. V. p. 125. sq.). — Nec poenitebit legisse hac de re G. Baglivi dissert. *circa salivam* etc. in Opp. et medico pract. (Lugdun. 1710. 4to) atque caput penult. Tractatus *de fibra motrice*.

um, aerearumque viarum omnes affatim exsudant *). Hosque humores in sputo sani hominis unitos ex officinis suis prolicit non pressus modo et succussio varia vasorum glandularumque mechanica, sed physica quoque irritatio nervorum per particulas stimulantes proxime admotas. Quae vero praeter naturam admiscentur sputo aegrotorum, de his paulo inferius exponam. Jam properandum est ad earum rerum enarrationem, quae in valetudine adversa possunt provocare sputa, tum in diversis morbis diversa, tum in eodem quoque morbo varia ratione deinceps mutata. Harum enim caussarum cognitione tuta demum judicia nostra de sputis in variis morbis bene maleve ominatis unice efficiuntur.

§. 2.

Caussae sputorum praeternaturales.

Ejiciuntur interdum ab aegrotis sputa, tum copiosiora, tum alia prorsus, quam quae sano homini familiaria sunt, quaeque nequeunt haberi pro symptomatis aut crisibus morborum acutorum, utpote quae pendent a caussis plane alienis, neque levant morbum primarium neque reddunt eundem deteriorem. Haec tamen ipsa sputa non minus, quam et vere symptomatica et critica, attendi merentur, quum a diversa corporis mutatione externa, vel labe etiam interna qua-

*) Ipsius adeo lacrymalis liquoris destillationem atque humidum in auris cavitatibus collectum accessorium sputi augmentum esse, nonnulli auctores reputant. vid. JON. BOHNII *Circul. anatom. physical. Progymn.* IX. BLANCARDI *Institut. med.* c. 7.

quadam, principem tamen morbum haud conſtituente, proficiſcantur, atque adeo hujus ipſius quoque ſigna ſiſtant. Quare non alienum eſſe videtur, hoc loco breviter atque in univerſum recenſere cauſſas illas, quae poſſunt praeter naturam augere mutareque ſputa noſtra; hocque faciam eo lubentius, quo magis taedium allatura foret in ſingulorum ſputorum tractatione earundem cauſſarum identidem facta repetitio. Sunt autem acceſſoriorum talium ſputorum cauſſae mechanicae aliae, aliae phyſicae. Ad mechanicas pertinent compreſſio glandularum ſalivalium muciparatumve nata a tumoribus, qui fauces, palatum utrumque, linguam *), buccas aut maxillas obſident; porro vel defectus totius palati vel partis ejusdem, colluviei mucoſae deſcenſum ex cavitate narium ſuo pavimento deſtituta admittens, dein glandularum variarum attritus et laeſio per aſperiora corpora producta. Alienari ſic inſuper et cruentum reddi poteſt ſputum collari thoracibusque arctioribus, ſanguinis intra colli, tracheae et pulmonum vaſa motum adeo perturbantibus, ut cruore nimium diſtenta oris nariumque vaſa vel relaxata vel diſrupta ſanguinem deſtillent, item thoracis compreſſione, alliſu, ictu et percuſſione. Quales calamitates quum et qui adhuc tum ſanus erat, et qui jam morbo aliquo laborabat, pati potuerit, eo diligentius id anquirere medicum oportet, quo facilius alias in

*) Variae reperiuntur in lingua excreſcentiae, tumores duriſſimi, adeoque lapillos continentes. Exempla hujus vitii narrantur ab ANT. de HAEN. in Praelection. in Boerhaavii Inſtitut. Patholog. ed. Waſſerberg. 1780. T. III. p. 500.

in veri morbi et principis diagnosi falli poterit. Causſae physicae sputorum praeternaturalium, tum internae tum externae, longe numerosiores sunt. Et ad internas quidem referuntur glandularum, quas dixi, vasorumque majorum atque minorum teneritudo, laxitas, obstructio, erosio aut ruptura, quarum quaedam muci et lymphae copiosiorem, aliae sanguinis adeo ipsius insolitum ad salivam accessum afferunt. Idem efficere possunt partium istarum inflammationes aut spasmi, siquidem humores congesti vel per vasorum parietes transsudent, vel per eorum orificia exhalantia exstillent. Augent porro sputorum frequentiam, humorum, alibi parari et excerni prohibitorum, decubitus ad laxiores et hinc facile cedentes sputi officinas; quale quid in ptyalismo variolis affectorum itemque in mercuriali contingit. Ipsorum quoque fluidorum morbosa conditio variorum sputorum scaturigo est. Sic in diversis morbis humorum tenuitas atque resolutio crebriori sese manifestat salivalis lymphae tenuioris eliminatione. *) Acrimonia catarrhosa sanguini inhaerens prae reliquis faucium viarumque aërearum vasa et glandulas sollicitat screandique necessitatem reddit frequentiorem.

Alio

*) vid. Haen in Praelect. Patholog. supra laudatis T. V. pag. 193. „In praxi, inquit, videmus saepe fieri salivationes nonnunquam horrendas a dissolutione humorum. Vidi hoc in vidua septuagenaria, quae, ac si mercurio uteretur, salivabat. Incrassantibus et obtundentibus, interpolando purgantia, vincebam quidem ptyalismum et conabar emendare tenuitatem humorum, sed incassum —„

Alio modo idem praestat tum acrimonia acida, tum materies purulenta per metastasin ad illa loca delata. Et ex his diversis acrimoniis sputorum quoque sapor varius nascitur. Externae sputorum causae physicae primo quaerendae sunt in variis aëris inspirati affectionibus. Sic calidum attenuatumque aërem constat pulmonum officia, sanguinisque per hoc viscus motum ita perturbare posse, ut sputa inde varia, saepeque cruenta nascantur. Idem suo modo praestat particulis variis alienis, acidis, putridis acribusque inquinatus aër, multiplicis variorum opificum sputi, a medicis merito attendendi, auctor. Efficacius aliquando agunt venena, vel inspirata vel deglutita, itemque medicamenta varia ingesta, quorum vi prolecta sputa ab iis, quae natura ipsa propellit, maximopere decet medicum distinguere.

§. 3.

Sputorum differentiae.

Venio jam ad succinctam enarrationem discriminum, quae in sputis occurrunt, causarumque, a quibus ista varietas inducitur, et signorum, quae medici inde petunt. Ac primum quidem ratione coloris occurrunt alba, quae multo constant spissoque muco, cui interdum, quamvis utplurimum cum coloris mutatione, aliqua puris particula immixta est. Alba et crassa ista sputa debentur glandulis vasisque admodum relaxatis atque debilitatis. ALPINUS *) ea dicit in morbis pituitosis utilia, in biliosis vero tum in-

*) *de praesagienda vita et morte aegrotantium* lib. VII. c. 16.

inutilia esse, tum mali indicii, maxime in pleuritide biliosa, quod nihil de materia pleuritidem faciente educi praemonstrent. Huc pertinent etiam sputa chylosa et lactea: et lactei quidem in femina post ablactationem observati exemplum ex DOLAEO et NUCKIO laudat SCHURIGIUS *). Grisea ac cineritia sunt, ubi muco intermixta est materies purulenta, adeo ut marmoreum quasi colorem referat. Sunt tamen etiam talia, quae nascuntur ex particulis in aëre obvolitantibus et ad bronchia delatis, fuliginosis maxime et pulverulentis, qualia rejiciuntur horis potissimum matutinis. Ejusdem originis aliquando sunt nigra, quorum nigrities nequaquam timenda, probe vero discernenda est ab ea, quae in biliosa humorum depravatione occurrit et mali est indicii. **) Frequentiora sunt sputa flava et rubicunda; quorum haec vel sincera sunt aut liquida, aut congrumata, vel mucosa sanguineis striis picta cruorisve pigmento ex toto perfusa, itemque cum cruore purulenta et saniosa. Illa vero, flava nimirum croceaque et fulva, vel a bile sunt in sanguine oberrante vel sub finem affectionum catarrhalium, quorum natura in erysipelacea quasi inflammatione viarum aërearum consistit, a pure nascuntur superficie tenus exsudante saepeque a muco eorum locorum copiosius jam secreto. Viridia phthisicorum quorundam sunt, huncque colorem brevi post rejectionem tempore pallida et grisea recipiunt. Rariora

 sunt

*) Vid. *Sialologia historico - medica auctore* MARTINO SCHURIGIO. Dresdae, 1723. 4to. Cap. I. pag. 35.

**) Χεῖρόν τι τὸ ἔτως ἄκρητον ὥστε μέλαν φλυσσᾶν. *Hipp. Praenot.*

sunt aeruginosa et nigra illa, jam superius commemorata, quae utplurimum ex hepatis vitiis derivantur et ab auctoribus habentur mali indicii *).

Sapor sputorum potest esse acidus **) amarus, aeruginosus, dulcis, putridus, alcalinus, salsus pro diversa indole acrimoniae, quae in canali cibario obtinet, saepeque inde ad ipsos defertur pulmones. *Amarum* atque *aeruginosum* redditur sputum ex corrupta bile, aliquando tamen etiam ex potu cibove, in cupreis vasis impuris parato servatoque. *Alcalinum* gignit acrimonia ammoniacalis aut alcalina; *putridum* vero vapor putridus vel ex cibarii tubi contentis putridis vel ex ulcere pulmonum. *Dulce* proficisci videtur ex particulis chylosis citius ad pulmones delatis, non vero, ut alii volunt, ex sale saccharino in sanguine evoluto. ***) *Salsus* sapor nativus fere est salivae sanae, neque percipitur tamen, nisi per morbum vel cuticula linguae tenerior, vel salis in sanguine copia major fiat. Ratione temperaturae notandum est sputum ad sensum aegri *calidum*, significans aestum humorum insignem, rapidissimumque motum; et *frigidum*, indicans summam debilitatem et fatum instans. †) Tandem

*) *Hippocr. Aphorism.* l. VII, 69. αἱ ἀποχρέμψιες αἱ ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τοῖσι μὴ διαλείπουσιν αἱ πελιδναὶ, καὶ αἱματώδεες, καὶ χολώδεες καὶ δυσώδεες πᾶσαι κακαί conf. etiam quos laudat Prosp. Alpin. l. l. lib. VII. c. 18.

**) De acidis sputis nataque inde corruptione dentium notabile exemplum refertur a Schurigio *Sialolog.* p. 79.

***) Notabiliora sputorum dulcium exempla recensentur a Schurigio l. l. c. I. p. 32.

†) Conf. hunc in locum Cl. Chr. G. Gruneri *Semioti-*

dem huc pertinent ſputa ea, quae ex diuturnis jejuniis acria fiunt. Scilicet, qui vel ob ſuperſtitionem vel alias ob cauſas diu a cibis abſtinent, his tandem anima olet et ſaliva exit foetida gingivasque adeo erodens. Ejusmodi quid accidit Tſchirnhauſenio, cui, quum per triduum, ut *Hallerus* perhibet, cibos haud aſſumſiſſet, dentes vacillarunt osque inter maſtucandum doluit magnopere. Ex odore ſputa parum differre videris. Satis frequens et teterrimus eſt putridus, qui occurrit in ſputo cruento, ſiquidem ſanguis ex vaſis elapſus in pulmonibus reſtitit juſto diutius, ſaepius vero in phthiſi ulceroſa, ubi aliquando, quamvis non ſemper, nares offendit plurimum. Convenit cum eo odor ſputi, quod rejicitur e faucibus lue venerea exulceratis aut ab uſu mercurii affectis. Qui tabe laborant ea, qua univerſa humorum maſſa corrupta, reſoluta vel per inediam acris reddita fuit, horum ſputa itidem ſolent graveolentia eſſe. Quum vero ſputum ex ulceribus pulmonalibus rejectum ſaepiſſime non foeteat, in prunis tamen aſſatum odorem ſpirat carnis putridae aſſatae. In variolis putridis SARCONE ſputum foetidum ſanguinolentum et materiae variolas replenti ſimillimum obſervavit. *) Praeterea animadvertimus interdum in ſputo alcalini ſaporis ſimilem etiam odorem.

tice Phyſiol. et pathol. general. complexa. Halae, 1775. 8. p. 345. Collegit vir doctiſſimus in hoc libro aſſidue et digeſſit, quaecunque ad illuſtrandam hanc doctrinam faciunt.

*) vid. MICHAEL SARCONE *von den Kinderpocken etc. aus dem Italieniſchen überſetzt von D. L. F. B. Lentin.* Gotting. 1782. 8.

Multo magis variat sputorum consistentia atque figura. Tenuia maximam partem componuntur ex saliva et sero perspirabili; crassa contra glutinosa et spumosa ex muco diu retento, cujus pars tenuior aut resorpta, aut difflata fuit. His accedit mox pus, in phthificis aliquando granulorum deterrimo odore insignium speciem referens; mox sanguis congrumatus, rarius materia quaedam calculosa, *) cujus fontes secundum auctorum variorum observationes glandulae sunt salivales, in iis maxime hominibus, quorum humores terrestribus particulis abundant. **) Haec vero omnia sputis conciliare posse figuram speciemque variam, ita ut mox aequalia et plana, mox globosa, mox aliter formata compareant, nemo non videt. Spumosa vero fiunt ex diuturna pulmonum concussione, aërem multum viscidis particulis intricante. Ipsum pondus sputorum attenditur maxime in iis, quos phthisi laborare suspicamur. Quae enim aquae injecta fundum petunt, purulenta sunt et mala praesagiunt. ***) Caeterum ex iis, quae hactenus dicta

*) Sic vidit Th. Kerkringius sputum a milite, qui arthritide dudum laboraverat, rejectum in massam tartaream concrescens. Conf. *Ejusd. Spicileg. anatom.* Obs. 25.

**) Lectu dignissima sunt, quae circa calculos sublinguales collegit Schurigius Sialol. C. I. pag. 35 seq. Caeterum calculorum horum natura nondum pervestigata, similis tamen forte est naturae calculorum urinariorum, in quibus Scheelius, praeter phlogiston et calcis exiguam particulam, acidum quoddam singulare detexit, vid. tractationem de lapidibus animalibus, qua clariss. Leonhardi auxit Macqueri *Dictionarium chem.* T. V. pag. 229.

***) ἐς τὸν πυθμένα βαδίζειν τὸ πῦον, ὀλέθριον συντόμως. *Hippocr. Coac. Praenot.*

dicta sunt, sponte patet, mixtionem sputorum esse posse admodum diversam, quandoquidem ex varia salivae, seri, muci, chyli, puris, sanguinis, bilioſarum denique, calculoſarum aliarumque particularum quantitate innumerae sputorum formae effici queant. Quantum vero ad morbos rite dignoſcendos exitusque eorum praesagiendos accurata hujus mixtionis diſquiſitio faciat, luculenter patebit ex iis, quae de ſputis in variis morborum generibus inferius commemorabuntur. Neque minoris momenti eſt, noſſe, quantum aegroti ſputent. Sputum enim parcum, v. c. in catarrhalibus morbis, uti ſaepe oſtendit humorum tenacitatem vaſorumque et glandularum infarctum, ita aliquando de febris quoque nimio impetu commonefacit. *) Idem fere judicandum eſt de ſcreatus defectu in gravioribus pectoris inflammationibus, maxime ſi, quae adfuerant, ſputa ſubito ſupprimuntur. Saepiſſime enim ejusmodi morbi prompta et facili ſputorum craſſorum et aequalium, quinimo ſanguine tinctorum, rejectione tolluntur. Terret quoque in phthiſicis imminuta ſputi quandoque quantitas,**) inque morbis acutis, ubi ſputa vere critica evenire ſolent, veluti in variolis, nil poterat eorum ſuppreſſione accidere perniciosius. In his igitur ſimilibusque affectibus, e. g. in cephalalgia diuturna, dentitione, angina, aphthis, parotidibus-

*) De ſignis ex quantitate et indole ſputorum repetendis bene diſſerit MACBRIDE *Introduct. method. in Theor. et prax. med.* interprete CLOSSIO Francof. 1774. Semiol. p. 276.

**) *Hippocr. Praedictor.* Lib. I. c. 12. pag. 479. ed. Linden. et Aphoriſm. lib. VII. ſ. 16.

busque sputa larga cum aegri levamine egesta, boni ominis sunt; mali contra in iis hominibus, qui chronicis malis debilitantur, quales sunt hypochondriaci, hysthericae, asthmaticique sputatores. Periclitantur quoque ob magnam laudabilium succorum jacturam vasorumque debilitatem ii, qui a phthisi propius absunt, multumque reddunt sputi seroso mucosi aut albidi aut chylosi. Sed ne in limine tractationis justo diutius morari videar, nolo jam omnes hic recensere morbos, in quibus sputorum quantitas praesagii vim habet, expositurus potius de signis inde petendis deinceps in enarratione singulorum morborum, in quibus sputa maxime attendenda sunt. Unum hoc adjiciendum videtur examini differentiae sputorum, probe inter se distinguenda esse sputa *critica*, i. e. ea, quae viribus naturae validis corporisque saluti prospicientibus moventur, salvisque iisdem cum morbi levamine continuant, et sputa *symptomatica*, h. e. quae a glandularum vasorumque nimia laxitate, erosione, ruptura, aliave affectione morbosa, aut ab humorum corruptione proficiscuntur, neque ad morbum ex voto tollendum quidquam conferunt. Huc denique accedunt sputa ea, quae ab usu medicamentorum, medico sive invito sive volente, provocantur, et varia ratione ad morbum mutandum facere possunt. Sed jam de singulis sputorum generibus dicam, quae in varia valetudine occurrunt.

§. 4.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0368
DFG

§. 4.

Sputa nauseantium.

Ac primum quidem nauseantium sputa, ceu utrique valetudini communia, expendam, ex quibus, sicuti ex aliis quoque oris fauciumque mutationibus, propter insignem, qui his partibus cum ventriculo intercedit, consensum, nonnulla, quae ventriculo accidunt, cognoscere et praesagire possumus. Proficiscuntur fere ista sputa ex glandulis faucium orisque, vasisque exhalantibus per consensum irritatis, compressis, strictisque, sicubi vel ventriculi motus peristalticus invertitur, vel parietes ipsius ab acrimonia, aut istic nata, aut aliunde per metastasin illuc translata, irritantur, vel cibo nimio, incongruo, aut cum fastidio sumto distenduntur: vel, dum vermium reptatu et morsu intestina, concussione, vulnere, extravasatove sero, caput et cerebrum, conceptione recens facta, uteri parietes, irritantur et nervos ventriculi in sensus communionem rapiunt. Quid? quod etiam singularis illa nervorum perturbatio, quam affert vectio in rheda operta et commoratio in locis editioribus ac praeruptis, maxime vero omnium navigatio sputationem gignere solet. Sub his nimirum insolentioribus nervorum commotionibus, prout in me ipso, curru vectus, non sine molestia experiri soleo, saliva tenuis et copiosa affluit, propinqui vomitus signum, quem ego quidem avertere possum descensu ex curru motuque corporis in aëre liberiori. Etsi vero ex ejusmodi salivatione, praeter vomitum forte, quem etiam in acutis morbis aliquando praedicit, nil certi praesagiri pot-

est, in universum tamen quaedam inde divinari licet. Sic nauseam illam inanemque vomituritionem tribuere tutius possimus vermibus, quam largior salivae aquosae confluxus concomitatur, ex ea vero, quae plane sicca est, aut spasticam strictúram, aut lentorem et spissitudinem succorum dignoscimus. Odor saporque varius sputorum in nauseantibus certiores nos reddere potest de cruditatibus variis acribus ventriculum obsidentibus; et consistentia ipsorum varia saburrae plus minus viscidae index evadit.

§. 5.

Sputa dentitione affectorum.

Qui dentium doloribus affliguntur adulti, saepissime copiosam salivam rejiciunt, maxime si gingivas occupat tumor inflammatorius, tenuem ab initio, et, nisi e carie putridi quicquam, aut e primarum viarum impuritatibus acribus alius forte sapor semet immiscuerit, insipidam; salsum deinceps sputum, purulentum et crassum, quum natus inter gingivas abscessus ruptus fuit. Nec vero in tanta gingivarum fontiumque sputi vicinia mirum est, irritatis istarum nervis, salivam largiorem profundi. Itaque, quum in variis morbis infantum, tum ob mirum malorum confluxum, tenerae aetati frequentiorem, tum ob linguae mentisque usum nondum confirmatum difficulter cognoscendis, ea omnia, quae hujus alteriusve morbi signa certa constituant, studiosissime sint et quidem eo magis conquirenda, quo certius constat, non a parentibus modo, sed ab ipsis adeo medicis saepe graviterque circa veram dia-

diagnosin errari, quoque frequentius est, quam plurimos infantum morbos, etiam, uti saepius vidi, illos, qui a primarum viarum impuritatibus unice exoriuntur, et vel dentibus viginti jam tum praesentibus, tamen adhuc cum verae medelae pertinaci neglectu repeti a dentium difficili proruptione: peropportunum est et maxime necessarium, nosse, quod vel nutricibus notum est, ptyalismum ad signa dentitionis pertinere, siquidem emolliendis gingivis leniendisque ipsarum doloribus, provida natura affundat salivam tenuem et limpidam, quae, quando deglutitur, frequentes parit saepius dejectiones alvinas, accuratius perpendendas, neque purgantibus nimis audacter debellandas. Quid? quod etiam salivationi superveniens vomitus dentitionis suspicionem confirmet *). Nec forte notasse modo sufficit hunc ptyalismum, sed necesse quoque esse videtur, ut medicus omnem ejusdem decursum attendat, quum ex subitanea ipsius suppressione haud dubie enasci possint mala graviora, quibus averruncandis medicum invigilare decet.

§. 6.

Sputa aphthosorum.

Alium morbum infantibus maxime molestum faciunt aphthae, seu pustulae illae albae, flavae, lividae, quinimo quandoque nigrescentes, quae ex acri humorum corruptione natae in omnibus oris partibus, faucibus, trachea, oesophago, omni-

*) vid. Rosen v. Rosenstein *Anweisung zur Kenntniss und Cur der Kinderkrankheiten. Gotting. 1781. Cap. 8.*

omnique inteſtinorum canali *) erumpunt. Quamquam vero haec ulcera in tenellis modo infantibus ſingularem morbum ſiſtere videntur, occurrunt tamen etiam in adultis, veluti multorum morborum ſymptoma; rarius vero decretoria ſunt **). Multum ſaepe laceſſunt medicorum curam, eorundemque omnem efflagitant ſolertiam. Sunt vero in omni aphtharum ſpecie ſputa plerumque copioſiora, eaque fere duplicia. Scilicet quum primum efflorescunt, ſputum ſpiſſum ac tenax rejicitur, quo admonetur medicus de acri viſcidoque muco, cujus et correctione et abſterſione opus eſt, niſi ejus copia impediri deglutitionem ipſorumque ulcerum curam retardari velis. Aliud ſputum prodit aphthis decidentibus, quandoquidem ſaepius ex vaſis laxis, dilatatis, vel etiam eroſis, ingens manat copia humoris tenuis, adeo interdum magna, ut aegroti vel viribus exhauſti et diſſolutione humorum pereant, vel dejectiones alvinas frequentiſſimas exper-

*) Ex communi ſententia plurium auctorum, quam tamen refellere annixus eſt ex ipſis cadaverum ſectionibus SIDREN Prof. Vpſal. vid. nov. act. ſociet. Vpſal. vol. III. diſſ. 3. 1780. 4.

**) Vid. ANT. HAEN *Praelect. in* BOERHAAVII *Inſtitut. Pathol.* T. IV. p. 204. „Sunt, inquit, aphthae ſymptomaticae paſſim, quandoque criticae. Criticae ſunt raro, ut petechiae et miliaria utplurimum ſunt ſymptomaticae. Docet id mutata ars medica in Hollandia. Hinc audivi BOERHAAVIUM ultimis vitae ſuae annis exſultantem, quod, Hippocratica methodo acutos curandi nunc multum propagata, regio Batava aphtharum infamia pro magna parte careret etc.„ — Conferri praeterea poteſt LIEUTAUD *Inbegriff d. medizin. Praxis. Leipz. 1778.* T. I.

perti diu afflictentur, haud exigua laudabilis humorum partis jactura facta *). Magnam quoque cum aphthis similitudinem habent ulcera illa, quae ex sialogogorum medicamentorum usu circa orificia ductuum salivalium nascuntur et ptyalismi uberrimi fontes evadunt.

§. 7.

Sputa catarrho et angina laborantium.

In affectibus catarrhosis, sive ex perspiratione suppressa nascantur, sive, ut nunc malunt quidam, singulari debeantur aëris vitio, partes illae omnes proxime afficiuntur, quae sputorum materiam suggerunt, adeoque, num screatu tussive rejiciatur quidquam, et cujus illud sit indolis, semper examinandum est. Occurrit vero in pulmonum catarrho ceu primario tussis, ratione sputorum, fere triplex. Alia enim promovet sputum spissum, magis minusve copiosum, alia humorem tenuem et acrem, alia plane nihil **). Sputa spissa, mucosa, aequalia ac prompte succedentia boni indicii sunt, quum doceant, vasa et glandulas faucium, laryngis ac pulmonum recte perfungi suo officio, expellendo vi valida humores, quibus primum turgebant, irritatione accitos, ita ut, praeter perspirationis justum regimen

*) Aphtharum diuturnum malum sub nomine *aphthoidis chronicae* egregie descripsit Guil. Hillary. vid. Ejus *Beobachtungen über die Luft und die epidem. Krankheiten auf Barbados.* Leipz. 1776. p. 328. etc.

**) Conf. inter alios Jo. Huxhamum in *Opp. physico — med.* ed. Lipsi. G. C. Reichelii *T. I.* p. 198. aliisque locis.

men humorumque diluitionem, nihil temere moliendum sit. Solent enim ista sputa in corpore caeteroquin sano elapsis aliquot diebus utplurimum minui, flavumque, ut narium mucus recte coctus, adipisci colorem. Quod si vero diutius continuant, optimos corpori succos detrahunt, vasorumque pulmonalium tantam relaxationem significant, ut in phthiseos periculum aegroti adducantur. Tenuis vero humor tussi eliminatus, uti vel a prava humorum mixtione, vel a vasorum morbosa debilitate proficiscitur, ita serosam ad teneros pulmones colluviem prodit, quae saepe eo periculosior est, quo major optimae lymphae copia hac ratione perit. Pejoris ominis sunt, quae ex iisdem fere caussis profunduntur, sputa lactea et chylosa, quae cum lactis optimo cremore summam aliquando habent similitudinem. Sputi denique in tussi ficca defectus magnam humorum adesse docet tenacitatem, vasorumque et glandularum aut stricturam aut infarctum, adeoque graviorem membranarum, laudatas partes investientium, inflammationem, quam certe in omni catarrho modicam adesse verisimillimum est *).

Eadem sputorum dignitas est in angina, quippe quae a catarrho non tam caussis suis, quam potius sedibus, differt. Occurrunt in ea sputa copiosiora, ex glandulis atque vasis oris, faucium, nariumque irritatis secreta, quae, si tenacia et viscida sunt, crassos intra solida nimium cedentia succos peccare, ostendunt, aliamque, ceu pituitosae vel aquosae anginae signa, exposcunt me-

*) Vid. Tissots *sämmtliche zur Arzneyk. gehörige Schriften.* Leipz. 1779. T. I. c. 7.

medendi rationem, quam quae insolita quantitate et cum frequentissimo fereque perpetuo screatu rejiciuntur *), utpote quae graviorem significant partium deglutitioni inservientium inflammationem, quantocyus coercendam, qualem, utut oculis assequi non possemus tumorem, pertinacia illa et deglutitionis difficultate provocata sputa profundius latentem certissime produnt. Quod si sputa ista vel sine levamine continuant, vel, manente tumore doloreque, supprimuntur, inflammatoria angina in abscessum abit, cujus rupturam annunciant sputa olentia, purulenta, flava, viridiave, aut sanguine remixta. Similia fere apparent, si glandularum superficies exulceratur atque materiam exsudat purulentam **). Sputa contra vel subarida et rotunda, vel sanguinea et aphtharum pelliculis remixta, vel etiam ita suppressa, ut neque in faucibus tumor dolorificus adsit, neque ad alia loca dolor et inflammatio deferatur, inter male ominata et gangraenosae corruptionis signa referuntur. Terret quoque in anginosis jam non amplius sputantibus, ante os progressa spuma. Ubi vero cum faucium ardore sicco et vocis raucedine exscreatio nulla sit, non inepte suspicamur laryngis maxime atque aspe-

*) Vid. Dav. Macbride *Introduct. in Theor. et Pr. med.* T. II. p. 156.

**) Talia vidit Huxhamus in febre anginosa epidemica: „Quidam, inquit, circa quartum aut quintum diem magnam foetentis, purulenti muci, nonnunquam sanguine tincti copiam exscreabant et nonnunquam materia prorsus livida atque detestandi erat odoris,, vid. lib. laud. T. III. p. 103. Est sane totus hic locus lectu dignissimus, quum agat accurate de sputis in angina maligna, deque periculis ex sputorum suppressione ac deglutitione ortis

asperae arteriae inflammationem. Sponte igitur ex his, quae breviter exposui, patet, quantum sputorum varia conditio rite perpensa, accedente justa aliorum signorum aestimatione, in angina recte dijudicanda medicos possit juvare.

§. 8.

Sputa pleuriticorum et peripneumonicorum.

Neque in pulmonum, membranarumque thoracem investientium et dissepientium inflammatione vel solitaria, i. e. in pleuritide et peripneumonia, vel utraque copulata, quam pleuroperipneumoniam dicunt, minoris momenti est sputorum apta consideratio. Pleuritidis enim ineuntis diagnosin confirmat, praeter lateris dolorem pungentem, pulsumque cum celeritate durum atque respirationem anxiam, tussis sine omni sputo aegrotum excrucians, ulterius vero progressae exitum sputa praesagiunt, bonum quidem, quae ab initio tenuia sunt, mox vero crassiora et utplurimum remixta sanguine.*) Neque enim haec sanguinis rejectio, quae essentiale hujus morbi symptoma est, perterrere debet medicum, modo cum respirationis levamine succedat,**) neque nimiam sanguinis copiam auferat, justoque tempore, reliquis nimirum symptomatibus cessantibus, intra diem septimum duodecimumque ces-

*) vid. Th. Sydenhami *Processus integr. in morb. curand.* pag. 497. *et ejusdem Observat. med. circ. morb. acutor. hist. et cur.* pag. 163. ed. Genev. 1736. 4. T. I.

**) „Ubi exspuitur facile, brevi sedatur, praecipue si sputa mista sunt rufo quodam sanguine — Spumantia sane et aquosa minime laudo.“ Huxhamus l. l, Tom. I. pag. 82.

ceſſet. Sputum vero cruentum ſubito ceſſans plerumque oſtendit, pleuritidis tranſitum in peripneumoniam, h. e. progreſſum inflammationis ad ima pulmonum penetralia, vix non ſemper funeſtum. Levatur contra morbus, ſi materies hactenus cruenta tempeſtive adipiſcitur colorem fuſcum ſive ex flavo rubrum, dein album flavumve, ſique levis inſuper, aequalis, et bene mixta eſt. Tenacia ſputa et difficilioris exſcreationis morbum valde periculoſum produnt; ſpumantia vero et aquoſa peſſima ſunt; *) neque foetida, nigra, viridia, ſincera, colorisve variegati, meliora. **) Pleuritides denique omnium difficillimae ſunt ſine omni ſputo, et quae hinc ſiccae dicuntur.

Peripneumonia autem, quae caeteroquin ſumma perſpirationis anxietate, dolore ſub ſterno et intra ſcapulas premente et pectus conſtringente, pulſuque minus quam in pleuriticis duro diſcernitur, ſub ipſo acceſſu utplurimum ſe manifeſtat ſputo multo, quod ſequenti fere die diſtinguitur ſtriis ſanguineis, quae ſi plane deficiunt, praeſagienda eſt diuturnior mali mora. Si vero rubor ſenſim decreſcit ſputaque pedetentim albeſcunt, intelligimus, morbum eſſe *ſimplicem inflammatorium*. *Putridam* peripneumoniae indolem produnt ſputa multo ſanguine eoque reſoluto ſcatentia; *bilioſam* ex flavo virideſcentia ***), ſanguinea

*) Huxhamus l. l.

**) conf. Nic. Piso *de cognoſcend. et curand. morb.* Lipſ. 1766. 8. T. I. pag. 620.

***) Subitam viridis ſputi ſuppreſſionem lethalem obſervavit Jo. Aug. Phil. Gesner, *Samml. von Beobacht. aus der Arzneygel.* Nördling. 1773. 8. B. IV. pag. 125.

guineis ſtriis diſtincta, atque fuſca, coloris quaſi hepatici, qui tamen forſan ſimul tribuendus eſt medicamentis in iſto morbo ſolennibus. Solent vero omnia hujus generis ſputa vel converti in cocta, alba, aequalia, mucoſa et vere naturalia, quae laetum morbi exitum pronunciare neminem fugit, *) vel in purulenta ac ſanioſa, quorum periculum aeque notum eſt. **) Quid vero ſit purulentum et quibus ſignis dignoſcatur, accuratius hic exponere non concedit argumenti ubertas; quaedam tamen de hac re monebo inferius, loco ut videtur opportuniore, quum ſputi inflammatorii tranſitus in purulentum mutet quoque morbum acutum in chronicum. Sputa denique peripneumonicorum cruda, tenuia, ſpumoſa, ſanguinea, meraca, viridia, cinerea, nigra et foetida omnem plane curationis ſpem eripiunt.

§. 9.

Sputa haemoptoicorum.

Sputum ſanguineum, quod ex pulmone non inflammato, cum febre aliquando ſymptomatica, erumpit, haemoptyſin appellamus. Ejus cauſas et ſpecies multiplices non eſt hujus loci exponere. Narranda potius ex inſtituti ratione tantum ea ſunt, quae ad diagnoſin et prognoſin hujus morbi pertinent; in qua utraque, niſi ſputa ore egeſta

*) vid. Huxhamus l. c. T. II. pag. 190.

**) „Omnis multo pejoris hac tenui eſt livida iſta, glutinoſa et ſaniei ſimilis, frequenter vini rubri fecibus aequalis, interdum nigrior et interdum valde foetens exſcreatio; haec enim vel a pulmonum ſtatu gangraenoſo, vel ſanguinis craſis per majorem acrimoniam deſtructione pendet etc.“ vid. locum Huxhami modo laudatum.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0378
DFG

sta accuratius perlustrata fuerint, ita falli quis poterat, ut nimium aliquando terreretur. Dignoscitur vero haemoptoicorum sanguis aegrius ex quantitate, certius ex colore florido et aequali, consistentia spumida, et rejectione, quae fit per intervalla, tussi parca, vel adeo nulla pulmonum commotione, pro varia loci, unde exturbatur, profunditate, ore impleto, praegresso sapore subdulci sensuque aliquo caloris. Contra qui e ventriculo projicitur sanguis, non nisi vomitu eliminatur, et fere spissus et grumosus est; qui e faucium partibus exit, exigua copia prodit, sine spuma, colorisque est obscurioris; qui ex ore et gingivis extrahitur, simplici egeritur exspuitione dilutus; qui per choanas ex naso defluit, praegresso capitis dolore et sensu gravi, cum titillatione in palato, frequenti screatu et tussiendi cupiditate egeritur, mox congrumescens sine omni spuma. Caeterum haemoptoicorum sputa cruenta non omni tempore ejusdem sunt ominis. Periculosa sunt, quorum intra breve temporis spatium copiosior proventus est, maxime si diu continuant, utpote quum non ex vasorum ostiis dilatátis sanguinem dimitti, neque per parietes relaxatos transudare, sed ex ruptis potius erosione vasis promanare significent. Aeque periculosum est, si sanguinis rejectio subito supprimitur, sive id ex virium promoventium defectu, sive ex febris violentiori accidat impetu. Meliora praesagienda erunt, quando sensim sanguis sistitur, proditque deinceps spissior, parciorque sine foetore, *) etiamsi purulenti quicquam admixtum fuerit. Ubi vero sanguinem mox sequitur spu-

*) vid. Pr. Alpin. lib. VII. c. 18.

tum ex flavo viride, vomicam antea latuisse intra pulmonem, merito suspiceris. Reiterata sanguinis floridi eruptio, ut facile dijudicatu est, quam maxime terrere debet. Quando denique copiosum sanguinem sequitur cum multa tussi excreatio purulenti, lividi vel nigricantis sputi, merito timemus, ex laesionibus pulmonum majoribus nata esse difficillima ulcera, in pessimam phthisin mox abitura.*)

§. 10.

Sputa Phthisicorum.

Phthiseos vero, cujus, ceu morbi notissimi, naturam atque discrimina recensere animus jam non est, variae formae imprimis distinguuntur sputorum diversitate. In morbo ineunte et leniori *lymphatica* et *salivalia* utplurimum prodeunt, significantia vel vasorum laxitatem vel impeditum quodammodo humorum refluxum et, quatenus corpori universo et sanguini laudabiles et maxime nobiles particulas subtrahunt, valde metuenda.**) Aeque timenda sunt ob similes rationes sputa *gelatinosa*, quae, quoniam gelatinae tremulae in modum non diffluunt, sed frustulorum forma vasis, qnibus inspuuntur, inhaerent, indeque integra

*) Scite exposuit inter veteres medicos de sanguinis sputo ejusque discriminibus A. C. Celsus *de medicina* L. 4. c. 4.

**) Schurigius tamen (l. l. c. III. p. 75.) excitat ex Act. Nat. Cur. Dec. II. An. I. Obs. 122. exemplum largi ptyalismi critici in phthisi ineunte, quem Joh. P. Wurffbain evenire vidit in foemina gravi moerore confecta.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0380
DFG

gra excuti possunt, a quibusdam etiam elastica dicuntur. *Mucosa*, quae in phthisi mucosa, ea scilicet, quae a catarrho oritur, occurrunt, mucumque fistunt glutinosum, spumescentem, copiosum, album, ab initio certe non coloratum et inodorum, in progressu vero morbi foetidum, flavescentem, virideſcentemve, et simul aut salsum, aut interdum dulcem, nimiam ad glandulas bronchiales lympham mucumque deferri ostendunt, proque majori vel minori copia et successiva mutatione plus minus periculosa sunt. Ex *globulosis*, quae sine multa pectoris commotione per levem tussiculam propelluntur, solidique corporis similitudinem mentientia sub velamine muci non nimis spissi, pisi fere lentisve formam, coloremque pallidum, cinereum, itemque nigrescentem, prae se ferunt, ea, quae odore carent, meliora, quae foetent odoremque compressa teterrimum spirant, pejora habentur.*) Exprimuntur vero haud dubie ex glandulis arteriae asperae pulmonumque muciparis, quumque in phthisi scrophulosa occurrant, ultro intelliguntur, ceu graviorum obstructionum, humorumque et pertinacius stagnantium et corruptionem putridam subeuntium manifesta signa, nequaquam boni praesagii esse, sed utplurimum vomicas malae indolis unam pluresve mox nascituras portendere, vel jam tum latentes prodere. Frequentissima in phthisicis sunt sputa *purulenta*, quae a mucosis distinguuntur eo, quod in aqua descendant, a charta bibula non absorbeantur, colorem referant variegatum, griseum, lividum, viridem, odorem exhalent gravem, putridum, et in pru-

*) Conf. Pr. Alpin. l. l. VII. cap. 16.

nis usta carnis assatae putrefactae teterrimum;*) omnium denique tutissime eo, quod ab acido vitrioli tenui solvantur, abeantque cum eo in mixturam aequabiliter turbidam, quum contra mucus ille menstruo haud mutatus innatet.**) At enim vero, quum purulenta haec sputa vix unquam sint simplicia, quin imo vix non semper saliva, muco, sanguineve remixta, in eorum perscrutatione eo accuratius versandum est. Norunt vero omnes, ejusmodi sputa ex pulmonibus manare exulceratis et erosis, eoque pejus ominata esse, quo plura prodeant et quo copiosior ipsis admixtus sit sanguis. Caeterum sunt inter illa, quae, utut albida et inodora projiciebantur, projecta tamen per moram contrahant virorem atque foetorem. Denique commemoranda etiam ea phthisis est, quae, praeter parcum phlegma album spumansque, omni sputo caret, quamque a singulari glandularum pulmonis duritie et obstructione, totiusque corporis siccitate proficisci novimus.

§. II.

Sputa asthmaticorum.

Neque in asthmate neglecta fuisse a medicis ea, quae tussi et screatu rejiciuntur, docet vel ipsa

*) Τῶν Φθισικῶν, οἷσιν ἐπὶ τῇ πυρὸς τὸ πτύαλον κνίσσει βαρὺ, — ἀπόλλυνται. *Hippocr.* Praenot. Coac. L. II. c. 17. ed. *Ludov. Dureti Lugd. Batav.* 1737.

**) Dignissimus est, qui hac de re consulatur, libellus Caroli Darwini, juvenis acutissimi, qui inscribitur *Experiments establishing acriterion between mucaginous and purulent matter. 1780. 8.* Reperies illum vernaculae linguae redditum in libro utilissimo, *kleine medicinisch - chirurgische Abhandlungen. Th. I. Leipz. 1781. 8.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0382
DFG

ipsa hujus morbi divisio in *humidum*, atque *siccum*. Scilicet ex natura varia sputorum varia etiam de indole causis et decursu morbi conjicere, quamvis non semper pari cum fiducia, possumus. Quemadmodum enim sputa limpida et tenuia copiose profluentia produnt ingentem vasorum exhalantium laxitatem, atque, si ex ipsis glandulis salivalibus eliminantur, congestionem sanguinis ad caput praeternaturalem; ita spumida illa, alba ac tenacia multa cum molestia tussique anxia propulsa docent, tum vasa esse obstructa, aut praeter naturam compressa, aut adstricta et spasmis affecta, tum humoribus deesse mobiles blandasque partes, sive in aliquo cavo illae sese collegerint, sive quocunque modo dissipatae fuerint. Graviora adhuc esse ista circulationis impedimenta, docent sputa tenui sanguine tincta, quae cum gravissima pectoris commotione in paroxysmis asthmatis difficillimis interdum rejiciuntur. Succedit aliquando materia mucosa et purulenta, quae, si exigua, inodora neque omnino maligna est, a vasis minimm debilitatis jamque aliqua inflammatione affectis in cava aërea deponitur: sin vero copia et malignitate peccat, non inepte vomicarum et ulcerum praesentiam metuimus. Sicuti vero in universum ex copia sputorum atque ex facilitate excreationis multa de morbi per artem aut naturam effectis mutationibus intelligere possumus; ita etiam facile videmus, ex subitanea sputorum suppressione nihil fere boni praesagiendum esse. Si per omnem morbum excreatio deficit atque adeo asthmate *sicco* laborat aeger, eo persuademur de humorum tenacitate, vasorumque obstructione aut strictura; saepius vero

hoc in casu adesse videntur, mechanica aliqua irritatio, humores extravasati, hydropem efficientes, aut concretiones, vel in vasis pulmonum aëreis vel in ipsa eorum substantia; quae tamen omnia ita definiri nequeunt, quin adhuc dubitationi locus relinquatur. Caeterum frequens est asthmathis, uti etiam phthiseos, symptoma hoc, quod profluat saepe invitis ac fere nesciis aegrotis magna copia verae salivae admodum tenuis, maxime si somno paululum sese dederint, aut etiam loquentibus; cujus phaenomeni caussam aliam, praeter nimiam vasorum debilitatem, ac sanguinis versus caput congestionem, regressumque per venas jugulares pulmonum aegritudine praepeditum, me nescire ingenue fateor; certe in iis aegrotis, ubi ipse hoc observavi, aliam reperire non potui; neutiquam enim in his tribuendum erat medicamentorum mercurialium usui, quamvis interesset magna huic fluxui cum ptyalismo mercuriali similitudo.

§. 12.

Sputa variolosorum.

Quemadmodum miasma variolosum in corpus aliquod delatum, ibique evolutum, in primo hujus morbi stadio a naturae viribus, si quidem sufficiant, semper propellitur ad superficiem corporis externam; ita in altero tertiove stadio defertur saepe ad loca interna, impetui facile cedentia: Et melioris quidem notae decubitus fiunt ad oris fauciumque cava*) aut ad canalem inte-

*) Digna videtur, quae huc adjiciatur, Huxhami observatio, quae docet, tempestate admodum frigida et sicca, pro-

testinalem. Hinc frequens illa in variolis salivatio, quam conferre posse multum ad salutem perniciemve aegroti probe norunt medici ad unum omnes. Occurrit notabile hoc symptoma frequentius in adultioribus, quam in tenellis, propterea, nisi fallor, quoniam in illis validior est intestinorum vis et resistentia ac in infantibus, qui ob majorem laxitatem frequentiores alvi dejectiones utplurimum experiuntur; et ex adultis quidem fere ii tantum spuunt, quorum cutis obtegitur copiosis admodum pustulis, ita ut per exhalantia ejus orificia materies perspirabilis expelli nequeat *). Neque tamen putandum est, hoc ptyalismo suppleri solum vices excretionis cutaneae; mihi quidem potius videtur corpus liberari hac via ab ingenti parte miasmatis admodum commoti, quod singulari ac propria ratione in illas glandulas deponitur, forsan eadem, qua illuc ruit acrimonia syphilitica. Prodit namque saliva, non simplex modo ac materiae perspirabilis similis, sed foetida, acris, rodens, fauces maxime afficiens, deglutita ciens aliquando tormina et dejectiones, suppressa vero hominem necans. Accedit, et hoc, quod illa eliminatio, corporibus etiam caeteroquin valde diversis adeo communis sit, neque facile succedat per renes aliave colatoria. Patet inde, opinor, salivationem accipiendam esse pro vera commotione criti-

prouti quoque valde calida et arida, homines minus exspuere: Frigida vero ac humida, corpus relaxante, sputa nimia profluere, maxime in hominibus morbis catharrhalibus obnoxiis, vid. ejus Opp. T. II. p. 136.

*) Conferri meretur h. in loc. MACBRIDE l. l. T. I. p. 120.

tica *), quum bene succedens verum afferat levamen, quamvis etiam esse possit et aliquando sit symptomatica. Jam paucis agamus de variis hujus ptyalismi differentiis ratione temporis, copiae ac consistentiae observandis, quae omnia docebunt, sputa in variolis mereri summam probi medici attentionem **). Instare vero salivationem intelligimus in iis, quibus copiosae variolae efflorescunt,***) ex insigni faciei, colli itemque brachiorum

*) Vid. HAEN. *Praelect. Pathol.* l. l. — „Talis crisis non in omni epidemicorum specie, erat in speciebus variis tempore *Sydenhami*. Ter autem ipse epidemicotatis variolis interfui, in quibus passim omnes a confluentibus curabantur, sine crisi per salivationem percepta. Notabile exemplum criseos salivalis in variolis confluentibus habet SYDENHAMUS in *Obs. med. circa morb. acut. Sect. V. c. 4.*

**) Omnium studiosissime ptyalismum variolarum observasse, eique plurimum tribuisse mihi quidem videtur magnus SYDENHAMUS. Plena enim sunt scripta hujus viri observationibus circa hanc rem diligentissimis, traduntur que simul ab eo cautiones et praecepta saluberrima. Caeterum conf. et MICHAEL SARCONE *von den Kinderpacken*, interpr. Exp. LENTINO *Götting.* 1782. atque ROSENSTEINII liber supra laudat.

***) Frequentissime accedit hoc symptoma ad variolas confluentes, id quod, praeter alios, testatur etiam SYDENHAMUS, asserens, se unicum tantum vidisse variolis confluentibus laborantem, nulla superveniente salivatione. vid. *Observ. med. circ. morb. acut. S. III. c. 2.* Vidit tamen ille aliquando, quamvis rarius, aegrotos etiam pauciss imis pustulis notatos exerceri ptyalismo. vid. Ejus *Hist. variol. anom.* an. 1670. Atque idem observavit HUXHAMUS in epidemia Plymouthi inde ab an. 1724 usque 1735. regnante in aegrotis fere omnibus. Videtur vero SYDENHAMI temporibus frequentior in hoc morbo

rum tumore, ex faucium rubore multis puſtulis diſtincto, ex foetore animae, deglutitionis difficultate vocisque raucedine. Quae quidem omnia accidere fere ſolent ſub tertii ſtadii initium. Mali igitur praeſagii erit ſalivatio ſub ipſa jam eruptione accedens, aut hac etiam maturior *); docet enim praematuram perſpirationis cutaneae ſuppreſſionem, ingentem exanthematum copiam futuram, miaſmatis ipſius malignitatem, ſanguinis totius acrimoniam fauciumque eam debilitatem, quae vix ferre poſſit diuturniorem materiae decubitum ſine ſuffocationis periculo, tunc maxime, quando aegrotus diuturnioris ſalivationis moleſtia ſomno plane viribusque exhauritur. Fauſtus igitur morbi decurſus ſperandus erit, quando ineunte ſuppuratione, quippe quae perſpirationem cutaneam cohibet, ſaliva tenuis ac blanda fluit facile, nec multa cum moleſtia, minus fauſtus contra, ſi tenax, acris ac foetida cum deglutitionis moleſtia ac ſuffocationis metu excernitur, potusque exigua etiam copia per nares tamen redit. Graviſſimum vero inſtat periculum, ſi ſputorum ſumma tenacitate, fauciumque inflammatione graviſſima ptyalismus plane ſupprimitur. His in caſibus ſaepe ſubit frequens alvi dejectio, aliquando ſalutifera, interdum vero aegri

bo fuiſſe ſalivatio, quam noſtra aetate, id quod forſan tribui poteſt regimini jam prudentiori. Hinc a recentiorum nonnullis ſignificare creditur morbum gravem. vid. e. g. Exp. SELLE *Handb. d. med. Pr.* Berol. 1781, qui admodum dubiam hanc criſin pronunciat.

*) Frequenter hoc obſervavit ſua aetate HUXHAMUS atque pericula inde oriunda probe notavit. vd. *de aëre et morbis epidem.* ann. 1739. in Opp. T. I. p. 224.

aegri fatum praecipitans *). Adjungunt se ejusmodi infortuniis alia praeterea symptomata adversa, quae medicum de instante periculo, justoque sputorum regimine monent **).

§. 13.

Sputa scorbuticorum.

In scorbuto ***), nautarum maxime marisque accolarum morbo, ex putrida humorum eaque lenta dissolutione oriunda, sputa itidem lustranda sunt. Obsidet enim dirum hoc malum, ut partes oris internas omnes, ita maxime gingivas, quippe quae rubent, tument, inter dentes assurgunt, ab eorum corpore magis recedunt, pruriunt, dolent, cruorisque dissoluti olidis vaporibus animam, rivulisque ad leviſſimum contactum scaturientibus sputum inquinant. Ex sputo igitur cruentato sub ejusmodi conditionibus medicus scorbutum adesse cognoscit, et ex copia, colore, et indole sanguinis rejecti plus minus tetrae corruptionis humorum modum †) aestimare potest. Imminutio contra talis sputi spem salutis haud exiguam largitur. Occurrit praeterea in scorbuto ingravescente ptyalismus copiosus ac diu-

tur-

*) Vid. SYDENHAMI *Observ. med. cir. m. acut. S. V. c. 4.*

**) Quantum tribuerit ptyalismo in hujus morbi solutione HUXHAMUS, patet vel ex eo, quod jubeat, eodem cessante promovere loco ejus aliam quandam excretionem, vid. *ej. diss. de variol epidem. anomal.* Opp. T. III. p. 32.

***) Vid. HUXHAM. Opp. T. I. p. 341. — De natura et signis hujus morbi consulatur liber ob praestantiam suam satis notus, I. LIND. *Treatise on the Scurvy* 1757. 8.

†) Vid. HUXHAM. Opp. T. II. de *febribus* c. V.

turnus atque adeo singularem epidemiae indolem constituit *) probe a medico notandam, quum morbi, exiguam modo copiam salivae ejusque tenacissimae ostendentis, alia sit ratio. Ejusmodi vero salivatio, quo magis tenue et olidum sputum promit, eo magis minitatur periculum exulcerationis putridae et facile in gangraenam abiturae, uti labiis et linguae, ita quoque ipsis faucibus, quae alias plerumque a malo immunes esse solent, **) quinimo et cariei non dentium modo, sed ipsius quoque maxillae metum inferunt. ***) Caeterum quum incautis luem veneream simulare visus scorbutus saepe extorqueat mercurialia, quibus, si in ullis aliis, in scorbuticis certe, et citus et copiosus, imo vero et pernicioſissimus ptyalismus movetur, opus etiam erit, ut deinceps vocatus medicus attendat, utrum anamnestici forte signi vis in eo sputo copioso tenui et olido insit.

§. 14.

Sputa hypochondriacorum et hystericarum.

Mali hypochondriaci, in feminis hysterici dicti, acerrimi hominum aetatis nostrae adversa-

*) testante LINDIO, qui crebras has salivationes, perinde ac diarrhoeas ann. 1746. scorbuticis accidentes, tribuit lignis recentibus ad navium exstructionem adhibitis. vid. lib. laud. P. II. C. 2. pag. III.

**) *I never remarked, except in cases of salivations, the back part of the throat, or upper part of the mouth, much affected.* LIND. l. l. pag. 117.

***) v. SWIETEN *Comment. in Boerhaavii aphor.* T. I. pag. 749. T. III. pag. 607.

sarii, adeo familiare symptoma est sputum continuo veluti flumine profusum, ut hypochondriacos *sputatores* proverbium dicat, hystericasque moneat SYDENHAMUS *) ad multas septimanas exspuere salivam tenuem, perinde ac si unguento mercuriali fuerint delibutae. Est vero humor, quem projiciunt, utplurimum limpidus et sincerus, odoris et saporis expers, interdum tamen subsalsus, aut cibum resipiens, rarius amarus, nonnunquam cruentus. Et tenuis quidem sincerique humoris profluvium tum a vasorum communi imbecillitate **) nervorumque debilitate, tum a viscerum abdominalium vitiis, nauseam, indigestionem, flatulentiam, spasmum, alvi segnitiem, sanguinei motus perturbationem, humorumque ad caput congestionem procreantibus, proficiscitur, siquidem nervi, pro ea, qua pollent in istis hominibus, infigniter aucta sentiendi facultate, a stimulo quovis tam facile perturbentur, ut vasa laxa mox in consensum rapiant eoque disponant, ut humores stimulo allectos spasmoque congestos uberius profundant, quinimo absorptos adeo retrogrado forte motu exprimant. Poterit itaque medicus ex sputorum copia, tenuitate aut crassitie, sapore denique et duratione, varia intelligere de morbi ipsius vi, pertinacia, decursu, deque ventriculi varie infirmato robore. Sapida enim sputa semper graves digestionis laesiones significant.

§. 15.

*) *Diss. epistolar. ad Guil. Cole de variol. consil. et affect. hyster.*

**) cf. R. WHYTT. *Beobacht. über d. Nat. d. hypochondr. u. hyst. Zufälle*, Leipz. 1766, pag. 191.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0390
DFG

§. 15.

Sputa verminosorum.

Sputa, quorum profluvium a vermibus intestinalibus, multorum ac indagatu difficillimorum morborum auctoribus, concitatur, tantam sibi pepererunt aestimationem, ut ex communi omnis aevi medicorum sententia inter primaria verminosae affectionis signa recenserentur. Colligitur nimirum in ore verminosorum, jejunantium inprimis, insignis copia liquoris, qui non modo per somnum copiose effluit, sed per vigiliam quoque, matutino maxime tempore, interdum cum nauseae etiam sensu, exspuitur. Est vero is liquor utplurimum aquosus, inodorus atque insipidus, aut ad summum alimentorum sapore infectus, interdum vero subluteus, fuscus, virideſcens, putrilaginem et excrementa resipiens, rarius sanguine remixtus aut ovulis vermium ita distinctus, ut sabulosus videatur, aliquando sat viscidus. Qui taeniam in corpore alunt, spissiusculum et copiosum cum nausea exigua projiciunt, qui lumbricos alunt, majori cum nausea tenuiorem; qui ascarides, parcum vel nullum. Ineunte morbo sputa tenuiora fere sunt et parum alienata, in confirmato vero copiosiora, spissiora, squalidiora, olida et male sapida, quinimo sanguinea rejiciuntur. Sanguis vero, qui istis sputis admixtus est, et a vasis vermium suctu irritatis laceratisve profunditur, potius a lumbricis, quam a taenia, prolici videtur, quum quippe lumbrici altius longe, quam taenia, hospitia sua quaerant. Tenuia et insipida sputa parum metues, utpote quum minus

perturbata adhuc digestio sit, magis vero crassa et copiosa, quibus ciborum fastidium accedit, siquidem ista vermes valde auctos et digestioni magis infestos declarent. Sputa hesternum cibum fecesve resipientia itidem digestionis laesae itemque haud raro obstructionum a vermibus factarum documenta sunt. Idem testantur putrida. Sanguinolenta denique, quae magnus ventriculi dolor praecedit, periculo quidem non vacua sunt, sunt tamen, quibus sanguinem cum lumbricis rejeciſſe profuit. Caeterum ut quaevis copiosa sputatio, sic et illa, quam vermes efficiunt, maciem facile lentamqne inducit consumtionem. Ut vero quoque de deuteropathica sputatione, seu ea, quae morborum a vermibus concitatorum symptoma est, aliquid adjiciam, notandum est, illam fere semper conjunctam habere tussim, egereque vel serum vel pituitam, vel sanguinem, vel pus. Scilicet cum organa respirationis satis crebro veniant in abdominalium morborum consortium, quumque a vermibus interdum producatur pleuritis spuria et peripneumonia, qui morbi in ulcera aliquando degenerant, sputa abesse nequeunt ejusmodi, qualia supra descripsi, et quae id fere singulare habent, quod tussis, qua excutiuntur, fere semper cum nausea complicata sit. Adest tamen aliquando etiam in verminosis tussis sine sputo, quae pulmonibus caeteroquin sanis, vel ex plenitudine et intumescentia ventris imi, diaphragmatis descensum praepediente, vel ex consensu nervorum ventriculi a vermibus lacessiti et pulmonum oritur.

Epi-

Epilogus.

Supereſſent, de quibus exponerem, tum ſputorum genera nonnulla, e. g. rabidorum, ictericorum *) melancholicorum, variisque febribus affectorum **), tum criſes eae, quae ſalivatione factae eſſe apud auctores leguntur: dici quoque liceret de ptyaliſmo mercuriali; ſed temporis anguſtia, ſpeciminisque hujus limites deſiſtere juſſerunt. Deſtiti vero a prima hujus laboris parte eo lubentius, quum otia ejusdem mihi fecerit ſumma induſtria Cl. WEBERI ***), quumque conſultius eſſe putarem, meditationes meas de ptyaliſmo mercuriali ejusque noxis tamdiu retinere, donec uſu et obſervatione frequentiori magis expolitas promere poſſim; modo judicibus aequis hoc, quod nunc exhibebam, ſpecimen non prorſus diſplicuerit.

*) Vid. HUXHAM. Tom. III. p. 14.

**) Sic f. VEIRAC obſervavit in inſula Overſtake febrem biliosam epidemicam ſalivatione perpetua comitatam vid. *Samnlung auserleſn. Abhandl. z. Gebr. pract. Aerzte* B. V. p. 479.

***) In Diſſ. *de ſignis ex ſputo*. Gott. 1779. omnium plauſum merita.

CON-

CONSPECTVS
CONTENTORUM
IN HOC VOLUMINE SECUNDO.

I.

Frieder. Schrader et resp. *Dan. Andr. Herstelle* Exercitatio I — IV. de signis medicis. Helmstad. 1699. - - - Pag. 1

II.

Rud. Aug. Vogel Pens. I et II. Gottingensium praenotionum. Gotting. 1763 et 1765 58

III.

Christph. Guilielm. de Berger Comment. med. de praesagiis ex algore in febribus acutis. Gotting. 1750. - - - 67

IV.

Jonae Sidrén et resp. *Gustaph. Svedelii* diss. de crisibus febrium perfectis. Upsal. 1774. 130

V.

Henr. Frid. Delii et resp. *Christ. Aug. Wenndrich* diss. de scrobiculo cordis signo. Erlang. 1766. 145.

VI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0394
DFG

VI.

J. Fred. Ackermann et resp. *G. Guil. Feuerlein* diss. de praesagiis medicis ex praecordiis. Gotting. 1752. - - Pag. 169

VII.

Christ. Gottl. Ludwig Progr. sist. monita semiotica in dijudicandis infimi ventris doloribus. Lips. 1759. - - - 211

VIII.

Georg. Rud. Boehmer et resp. *Ant. J. Hartmann* diss. de stomatoscopia medica. Viteмb. 1786. 223

IX.

Rud. Aug. Vogel et resp. *Brn. Dieler. Franc. Steineke* diss. sist. hydropis ascitis semiologiam. Gotting. 1764. - - - 273

X.

Ott. Henr. Knorre diss. de prognosi in hydrope. Gotting. 1781. - - - 295

XI.

Christ. Gotth. Frider. Webel diss. de sputis. Lipsiae, 1783. - - - 346

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0395
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0398
DFG

gularem epidemiae indolem
medico notandam, quum
lo copiam ſalivae ejusque
is, alia ſit ratio. Ejusmodi
agis tenue et olidum ſpu-
minitatur periculum exul-
facile in gangraenam abi-
guae, ita quoque ipſis fau-
imque a malo immunes eſ-
o et cariei non dentium
que maxillae metum infe-
quum incautis luem vene-
corbutus ſaepe extorqueat
ſi in ullis aliis, in ſcorbu-
copioſus, imo vero et per-
is movetur, opus etiam
is medicus attendat, utrum
vis in eo ſputo copioſo te-

. 14.

corum et hyſtericarum.

aci, in feminis hyſterici
um aetatis noſtrae adver-
ſa-

ebras has ſalivationes, perinde ac
corbuticis accidentes, tribuit li-
ium exſtructionem adhibitis. vid.
g. III.

pt in caſes of ſalivations, the back
pper part of the mouth, much af-
117.

in Boerhaavii aphor. T. I. pag.

the scale towards document
Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 520
Patch Reference numbers on UTT
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
4.5 5.0 5.6 6.3
Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1039804454/phys_0399
DFG